ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

XII

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.

Leipzig.

O. R. Reisland.

1892.

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Wiegendrucken.

Dritte Folge

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.

BIBLIOTHECA MONACENSIS

Leipzig.

O. R. Reisland.

1892.

VORWORT.

Der vorliegende Band enthält eine neue Folge zum gröfsten Teile unedierter Hymnen. Ich sage zum gröfsten Teile, denn es entgeht mir nicht, dafs einige wenige schon da und dort veröffentlicht sind, so z. B. in den von Rev. J. Stephenson 1851 im Auftrage der Surtees Society herausgegebenen „Latin Hymns of the Anglo-Saxon Church". Diese Sammlung ist heute schlechterdings unerreichbar geworden; ich selbst bin nach langjährigem erfolglosen Fahnden nur durch die liebenswürdigen Bemühungen des bekannten englischen Hymnologen Rev. J. Mearns in den Besitz derselben gelangt; ich glaubte daher im wohlverstandenen Interesse der Sache zu handeln, wenn ich mich durch jene nicht abhalten liefs, ein Lied aufzunehmen. Bei einzelnen Nummern mag mir auch deren Vorkommen in früheren Sammlungen entgehen; bedarf es doch bei dem grofsen Umfange des Materials aller Vorsicht, um nicht dasselbe Lied zweimal in die eigene Sammlung schlüpfen zu lassen. Ein veränderter Anfang, ein Pangat statt Clangat, ein Plaude statt Gaude und ähnliches mehr genügt, um in die Irre zu führen.

Von nicht geringem Interesse für die hymnologische Forschung ist es, einen höchst aufserkirchlichen, um nicht zu sagen unkirchlichen Gebrauch kirchlicher Hymnen und Lieder zu verfolgen, deren Umdichtung oder Verwertung in politischen oder doch weltlichen Liedern. Solcher Travestieen sind uns eine Reihe erhalten, leider aber in den verschiedensten Büchern, Broschüren und Zeitschriften zerstreut, so dafs ein Überblick derselben äufserst schwierig.

Einen interessanten Beitrag zu dieser Litteratur bietet die Handschrift Nr. 203 der Stiftsbibliothek von Admont. Der Vorderdeckel dieser Handschrift ist mit einem Pergamentblatte be-

kleidet, das der Schrift nach noch dem 14. Jahrhundert angehören mag. Auf demselben befinden sich Reste und Trümmer (dank der Schere des Buchbinders nur solche) einer längeren Serie von Liedern zum Lobe des deutschen Kaisers und Königs Heinrich VII aus dem Hause Luxemburg. Diese Lieder enthalten stellenweise, namentlich in Nr. III, so zahlreiche Anklänge an kirchliche Hymnen, dafs sie im Kataloge irrtümlich als solche aufgeführt wurden. Diesem Mifsverständnisse verdanke ich es, dafs ich auf selbe aufmerksam wurde. Ich weise daher diesem Beitrage zu der vorstehend charakterisierten Litteratur hier eine Stelle an. Leider ist mit Ausnahme von Nr. II und VI kein Lied vollständig. Nr. I fehlt der Anfang. Dem erhaltenen Bruchstücke geht noch das Wort egregie vorher.

I.

1. Habuistis et habetis
Et ad Caesarem tenetis
Cor misericordiae,
Inter probos et honestos,
Inter pios et modestos
Vos estis primitiae.

2. O virum laudabilem,
Dulcem et affabilem
Nec labore victum,
Virum ineffabilem,
In inceptis stabilem,
Semen benedictum.

3. Qui post vitam labilem
Et parum durabilem,
Gaudium post pictum,
Ad desiderabile
Tendit et mirabile
Mundi post conflictum.

II.

1 Hujus mundi amatores,
Veri boni desertores,
Quid sunt transitoria?
Imitemur meliores,
Quia saeculi honores
Faeces sunt et somnia.

2. Post aerumnas et labores
Terrenorum contemptores
Crescunt in memoria,
Inter Dei dilectores,
Inter sanctos sanctiores
Caesar sit in gloria.

III.

1. Jam lucis orto sidere
Regi mors tristis adfuit,
Et inaudito vulnere
Totum mundum perterruit.

2. Lucis creator optime,
Aeterne rex altissime,
Vir almus quo demeruit,
In flore qui sic corruit?

3. O quanta fuit sanctitas
In rege tantae gloriae,
O lux beata trinitas,
Hunc colloces in requie.

4. Conditor alme siderum,
Qui pascis inter lilia,
Hunc ad sanctorum numerum
Duc suffragante filia.

5. Jesu, salvator saeculi,
Qui das salutem regibus,
Imperatorem populi
Sanctorum junge coetibus.

6. Nunc sancte nobis spiritus
Currentem hunc ad stadium
Corona regem coelitus
Inter sanctorum bravium.

7. Te . . . . . .

IV.

1. . . . Caesar erat humilis.
Odiebat fastus,
Omnibus amabilis,
Sobrius et castus.

2. Ordines superbia
Brachio cum sano
Percussit de Suevia,
De Mediolano.

3. An ignoras, regibus
Longas esse manus?
Obstans horum legibus
Vecors est et vanus.

4. Non ferens injuriam
Viris ab ingratis
Domuit Liguriam
Fraeno potestatis.

5. Quando vires viribus
Debeant retundi,
Novit cunctis melius
Caesar, honos mundi.

6. Caesari displicuit
Cor formidolosum,
Nunquam mundus habuit
Cor tam animosum.

7. Nunquam sibi placuit
Cor calumniosum,
Potestate domuit
Cor praesumptuosum.

8. Non ut plures hominum
Abiit post aurum,
Qui habebat Dominum
Pectoris thesaurum.

9. Super omnes volucres
Aquila volavit,
Quando victos Ligutres
Rex humiliavit.

10. O mortis potentia!
Si mors permisisset,
Florida Florentia
Forsitan ruisset.

11. O quam casus flebilis!
Hostes et amici
Plangunt mortem nobilis
Caesaris Henrici.

12. Hoc patet et patuit,
Plangunt nec est mirum,
Quia nunquam habuit
Mundus talem virum.

13. O quam digne praefuit
Caesar, orbis scutum,
Cui nunquam defuit
Aliqua virtutum.

14. Forsan in hoc latuit
Quoddam divum numen,
Ex quo foris splenduit
Benedictum lumen.

15. Angelorum coetibus,
Spero, quod jungatur,
Cujus de virtutibus
Mundus admiratur.

16. Ad quid lavo laterem,
Quare litus aro,
Stilum per degenerem
Qui laudare paro.

17. Hunc verborum serie
Si laudare quaero
Respectu . . . . . .

BQ
5253
.A5
v.12

V.

1. . . . . .
. . . . . trarum,
Gaudium, quod saeculum
Dat, quam datur parum;
Dulce, quod praemittitur,
Sapit et est clarum,
Taedium, quod sequitur,
Nimis est amarum.

2. Imperator noverat
Hanc conclusionem,
Sensum postposuerat
Sequens rationem,
Saeculo concluserat,
Quod dat talionem,
Qui semper quaesiverat
Divam regionem.

VI.

1. Hic est, qui pauperibus
Sua condivisit,
Cui totis viribus
Saeculum arrisit,
Nec ullis temporibus
Tamen huic irrisit,
Qui ad petram fortiter
Parvulos allisit.

2. Caesar fuit optimus
Tutor pupillorum,
Inter omnes maximus
Pater orphanorum,
Arbiter aequissimus,
Spes desolatorum,
Adjutor promptissimus
Gratis oppressorum.

3. O quam sanctis aestibus,
Hic intus ardebat,
Regiis in vestibus
Qui foris splendebat,
Pretiosus habitus
Fastum praetendebat,
Quem vis sancti spiritus
Procul repellebat.

4. Ejus cor ab omnibus
Immundis immune
Ibat totis viribus
Ad bonum commune.
Nec contentionibus
Favit opportune
Nec quis obstans legibus
Transivit impune.

5. Singulis temporibus
Dei in timore
Sanctis in operibus
Fervebat amore,
Orbem justis legibus
Rexit cum honore,
Quem mors suis falcibus
Succidit in flore.

Soweit ist uns zusammenhängender Text erhalten. Von der nun folgenden Nr. VII sind leider nur die ungeraden Zeilen vorhanden, die geraden fehlen:

O gloriosa Domina
. . . . . .
Fac ut sanctorum agmina
. . . . . .

Ich nehme deshalb Umgang davon, diese abgerissenen Zeilen hier wiederzugeben. Vielleicht würde sich bei vorsichtigem Ablösen des Pergamentes auf der Rückseite des Blattes weiterer Text gewinnen lassen.

Man weifs, mit welcher Begeisterung und welchen Hoffnungen Dante zu dem ritterlichen Heinrich aufsah und welche Klagetöne er dem zu früh Dahingeschiedenen nachsandte. Ein Echo derselben tönt auch aus diesen, der Form nach gutgearbeiteten Rhythmen. Ich verweise auf den wohlbesorgten zweisilbigen männlichen Reim (der auch IV 9, 3 das merkwürdige Ligutres schützt). Dafs das Lied einen geistlichen Verfasser hat, liegt offen zutage; ob dasselbe aber aus Italien oder Deutschland stammt, wage ich nicht zu entscheiden, obschon mir letzteres glaublicher scheint. Der zweisilbige männliche Reim ist in Italien nie in der Weise gepflegt worden wie in Deutschland und namentlich in seiner Heimat Frankreich.

Dem Leser wird unter den Marienliedern dieses Bandes eine zusammenhängende Folge nicht entgehen, welche einer Handschrift der Bodleiana entnommen ist. Ich möchte dieser Handschrift, die ein besonderes Interesse beanspruchen darf, hier mit einem Worte Erwähnung thun. Dieselbe trägt die Bezeichnung Miscellanea Liturgica 277, ist also in den bisher gedruckten Oxforder Handschriften-Verzeichnissen nicht enthalten. Die Pergamentblätter derselben von 134 × 99 mm. sind von einer Hand des 11. Jahrhunderts in longobardischer u. z. casinensischer Schrift beschrieben und enthalten ein Officium de ss. Trinitate nebst mehreren Officien de Beata. Zu ersterem finden sich die Hymnen: Laus trinitati resonet perenni (ad Noct. fol. 26 a; cfr. Analecta Hymnica IV, n. 1), O veneranda trinitas laudanda (ad Laudes, fol. 34 a; cfr. Morel n. 2), O pater sancte, mitis atque pie (ad Vesp. fol. 39 b; cfr. Mone n. 12); zu letzteren gehören aufser den in diesem Bande abgedruckten nur noch die bekannten Hymnen: Quem terra, pontus, aethera und O gloriosa femina. Es unterliegt keinem Zweifel, dafs die Handschrift aus Unteritalien stammt; näher habe ich leider, von den mir zugänglichen Hülfsmitteln im Stiche gelassen, die Herkunft nicht zu bestimmen vermocht, obschon das Kalendarium unter andern Umständen diese Bestimmung ermöglichen müfste. Wenn dasselbe im Jänner das Fest des Blutzeugen Julianus bringt, so werden wir damit nach Sora gewiesen, dessen Kathedrale überdies der heiligen Maria geweiht ist (vgl. Acta SS. Jan. III, 382). In den Feber fallen Emmerentiana und Aldegundis; ich habe aber keine Heiligen gleichen Namens finden können, deren Fest in diesem

Monat träfe; Emmerentiana von Rom wird am 23., Aldegunde von Maubeuge, die man hier ohnehin nicht erwartet, am 30. Januar gefeiert. Ebenso auffallend ist, dafs Barbatus, der nach Benevent deutet und sonst im Februar auftritt, hier in den März verlegt ist. Über diejenigen Namen, welche vor allem die Herkunft der Handschrift aufser Zweifel stellen mufsten: Pinzardo virgo, Bonafilia, Hilibertus confessor, Manapertus episcopus habe ich leider ebensowenig Licht erlangen können als über die Eintragung: XV. Kal. [Maji] obit Adilberga. Sollte mich später ein glücklicher Zufall entdecken lassen, was ich leider vergeblich gesucht, werde ich um so weniger verfehlen, dies nachzutragen, als die in sprachlicher und metrischer Hinsicht gleich interessanten Lieder augenscheinlich von einem Verfasser herrühren.

Trier, den 7. Juni 1891.

G. M. Dreves.

I.

DE TEMPORE.

1. Diebus Dominicis.

Ab Adventu usque ad Quadragesimam.

In Vesperis.

1. Summe Deus, precor, Adonai, Sabaoth, via, virtus,
   Tutamen miseris solamenque malis.
2. Vitaque perennis, tu gloria spesque salusque,
   Poscimus, optamus, te sine nil petimus.
3. Alma Dei trinitas, famulis succurre modestis,
   Sani quo valeant dicere semper Amen.

Hymn. ms. S. Gereonis Colonien. saec. 12. (Privatbesitz.)

2. De Nativitate DN.

1. Angelus Domini
   Mariae nuntiat:
   Spiritus sanctus
   super te veniat.
2. Beata es
   ex mulieribus,
   Quod de te nascetur,
   sanctum vocabitur.
3. Casta effecta
   ex partu virgo est,
   Gravida virgo
   post partum virgo est.
4. De patre genitus
   ante principium,
   De matre natus
   portatus gremium.
5. Ex Bethlehem
   qui fuit oppido,
   Ibi respexit,
   qui erat optimus.
6. Felicem dicunt
   illum praesepium,
   Ubi jacebat
   excelsi filius.
7. Gaudebant illa
   duo animalia,
   Quia videbant
   benignam animam.
8. Homines scrutabantur
   scripturas legibus,
   Perscrutabantur, ubi
   nasceretur Christus.
9. In illa nocte
   pastores vigilabant,
   Voces audiebant,
   psallentes angelos.
10. Kurrunt videre
    illud, quod visum est,
    Vident lactantem
    exselsi filium.
11. Laetus sedebat
    Joseph sanctissimus,
    Quia videbat
    regem altissimum.
12. Magi occurrunt
    offerentes munera,
    Stellam sequentes,
    quae eos deduxerat.

13. Nuntium ducunt
ad regem impium,
Herodi dicunt,
quod Christus natus est.

14. Omnia fecit
in suo nomine,
Ut liberaret
deceptum hominem.

15. Postquam cognovit,
quod Christus natus est,
Tunc interfectio
parvulorum facta est.

16. Quaerebat Herodes
parvulos perdere,
Infra a bimatu
eos occidere.

17. Regnum Herodes
postquam expulsus est,
Infernum invenit,
postquam sepultus est.

18. Sanctus Johannes
venit de eremo
Ad baptizandum
quaerebat Dominum.

19. Totum mundis
Jordanis fluvius,
Vitam donavit
excelsi filius.

20. Virgo Maria,
quae virgo concepit,
Virgo permansit,
quae Christum genuit.

21. Xristus de coelo
salvator omnium,
Qui suscitavit
a morte Lazarum.

22. Ymnum et laudes
Deo referimus
Cum sanctis omnibus,
qui te glorificant.

23. Zachaeus per fidem
ascendit arborem,
Ut transeuntem
videret Dominum.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. in. — 1, 2 Maria. — 2, 3 nascitur. — 3, 2 ex parte. — 5, 1 Bethlem. — 10, 1 Kurru. — 10, 3 Videns laetantem. — 12, 4 qui eos. — 22, 1 et laudibus, offenbar blofs Schriftfehler, hervorgerufen durch das folgende omnibus. — Zu 4, 4 portatus gremium verweise ich auf die in der Einleitung zum 7. Bande aufgeführten Analoga; dieselben scheinen mir eine Korrektur in gremio zu verbieten. Aus den gleichen Gründen belasse ich 6, 1 sq., obschon das Versmafs auch Felix dicunt illud praesepium vertrüge. Hier liegt aber offenbar kein blofser Schreibfehler, sondern ein Genuswechsel vor, wobei allerdings fraglich bleibt, ob derselbe auf Rechnung des Verfassers kommt. Auch 19, 1 läfst einen Sinn zu, ohne dafs man mundus statt des überlieferten mundis zu lesen brauchte. — In der Hs. ist das Lied überschrieben „de Adnuntiatione sanctae Mariae"; nach jeder Strophe kehrt der Rundreim wieder: Beata virgo et Dei genitrix. Cfr. Duemmler, Rhythmorum Ecclesiasticorum Aevi Carolini Specimen p. 4.

3. In Nativitate DN.

Ad Tertiam.

1. Christe, hac hora tertia
Tua nos reple gratia
Caritate et fervidos
Nos nostrosque fac proximos.

2. Ille Deus paraclitus
Nostris nunc adsit cordibus,
In hac hora qui rutilos
Inflammavit apostolos.

3. Praesta hoc, Deus trinitas,
Una et compar deitas,
Cui laus, virtus, gloria
Nunc et cuncta per saecula.

Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII. — Ich belasse diesen und die beiden folgenden Hymnen beim Weihnachtsfeste, dem sie die Handschrift zuweist, obschon sie sich inhaltlich an das Festgeheimnis nicht anschliefsen. Cfr. Stephenson, 151.

4. In Nativitate DN.

Ad Sextam.

1. Sexta aetate virgine
Qui natus es pro homine,
Fac nos octava sumere
Aetate sortem gloriae.

2. Et qui hac hora mysticum
Sedisti super puteum,
Fonte tuo nos irriga
Atque sole illumina.

3. Praesta hoc, Deus trinitas.

Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII.

5. In Nativitate DN.

Ad Nonam.

1. Hora nona quae canimus,
Exaudi, Jesu, petimus,
Quam tuus reddit obitus
Sacrosanciam mortalibus.

2. Hac hora tuo vulnere
Fons manavit ecclesiae,
Tua nos jungat inclita
Sancto latroni gratia.

3. Praesta hoc, Deus trinitas.

Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII.

6. De ss. Nomine Jesu.

In 2. Vesperis.

1. Jesu, filii Dei,
Nomen singulare,
Nomen sanctae spei,
Nomen salutare.

2. Cibus, medicina,
Lux est Jesu nomen,
Servans a ruina
Donansque solamen.

3. Pascit cogitatum,
Praedicatum lucet,
Lenit invocatum,
Castas mentes fovet.

4. Consolatur tristes,
Poenitentes salvat,
Confortat pugnantes,
Omnes morbos sanat.

5. Praestat caecis visum
Et sermonem mutis
Datque claudis gressum
Et auditum surdis.

6. Nomen reverendum
Suscitat defunctos,
Nomen expavendum
Liberat obsessos.

7. Quod a genitoris
Pietate datur,
Hoc in salvatoris
Nomine petatur.

8. Sit laus trinitati,
Salus atque virtus
Et par unitati
Honor, lux et decus.

Brev. S. Gudilae imp. Parisiis 1516.

7. In Epiphania DN.

1. Venit Deus factus homo,
Exsultat omnis natio,
Coelum dedit sidus novum,
Apparet auctor omnium.

2. Magi ferebant munera,
Primi legati gentium,
Qui cum sacro mysterio
Signant latentis gloriam.

3. Aurum potentis regimen,
Numen sacrum thus indicat
Carnemque myrrha mortuam,
Mundi piantem machinam.

4. Herodes, hostis invidus,
Ignorat haec trucissimus,
Christus, saluti gentium
Qui sic ministrat providus.

5. Jesu precamur optime,
Ut nos benigne dirigas,
Prompti feramus quo tibi
Laudis sacrata munera.

6. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497.

8. In Epiphania DN.

1. Vera proles patris summi,
lux de patris lumine,
Volens suos consolari
sub servili tegmine,
Baptizatur die tali
in Jordanis flumine.

2. Baptizatur factor orbis,
non ut culpam deleat,
Quae in ejus pretiosis
artubus adhaereat,
Sed ut culpa nostrae carnis
hoc baptismo pereat.

3. Rege nato baptizato
testis dignus adfuit,
Qui de throno miro sono
dicens haec intonuit:
Hic est Deus, hic est meus,
in quo mihi placuit.

4. Columbina namque forma
visus est divinitus
Septiformis consolator
advenisse spiritus,
Qui conservet mentes nostras
Deo datas funditus.

Prosar. et hymn. ms. Laudunen. saec. 12. Cod. Laudunen. 263, mit der Aufschrift: Prosa in laudibus pro versu. Das Versmafs und mehr noch die Melodie charakterisieren das Lied indes als Hymnus.

9. In Transfiguratione DN.

Ad Laudes.

1. Mentis fervet devotio
Ad novae lucis gaudia,
Quae pio desiderio
Cor rapit ad coelestia.

2. Languens suspirat spiritus,
In spe mens sudat anxia,
Cordis extorquet gemitus
Dulcis Christi memoria

3. O quam praeclara regio,
Quam dulcis illa patria,
Quam sine vitae taedio
Lux pascit metae nescia.

4. Nobis favente Domino
Post tenebrosa stadia
Mansura sine termino
Lucis donentur atria.

5. Pater, cum unigenito
Et spiritu paraclito
Unus, nobis hanc gloriam
Largire per praesentiam.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. in. Cod. Londinens. Reg. 2 A XI.

10. De Transfiguratione DN.

Ad Laudes.

1. O quantorum gaudiorum
Dies haec mirabilis,
In qua summus angelorum,
Deus invisibilis,
Fuit in discipulorum
Adspectu visibilis.

2. Pie Deus, summa vere
Tua est clementia,
Et quis posset non gaudere
Hac audita gratia,
Per quam sperat possidere
Tot et tanta gaudia.

3. Te supplices exoramus,
Rex aeternae gloriae,
Quod sic honeste vivamus
Dono tuae gratiae,
Ut tandem te videamus
Revelata facie.

4. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per aeterna saecula.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Turonen. 154. — 2, 5 sperat scandere. — 3, 3 Quod vivamus sic honeste.

11. In Quadragesima.

Ad Laudes.

1. Jam lucis splendor rutilat
Noctis fugatis tenebris,
Reddamus laudes Domino,
Qui manet ante saecula.

2. Pellamus omne noxium,
Poscamus omne prosperum,
Defendat suos famulos
Virtus aeterna jugiter.

3. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Psalt. ms. Coelestinorum in Gentilino saec. 14/15. Cod. Avenionen. s. n. — Mel.: Jam Christe sol justitiae.

12. Tempore Passionis.

Ad Completorium.

1. Ecce jam dies inclinat,
jam venit ad vesperum,
Flammis vero paucis solis,
unde venit, revocans
Ordinem suum observans
mundi clausit tenebras.

2. Nos indigni peccatores
te precantes quaesumus,
Non secundum mala nostra
tu nobis retribuas,
Sed preces, quas deprecamur,
tu, Christe, suscipias.

3. Concede nobis noctem istam
laetam et pacificam,
Valeamus frontem nostram
signo crucis tegere,
Ut non valeat fur nocturnus
mentes nostras laedere.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque
inclito paracito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. — 1, 1 jam dies inclinat dies. — 2, 1 Et nos indigni.

13. De Vulneribus DN.

Ad Vesperas.

1. Verbum in carne moriens,
Quinque vulnera patiens,
Nostris praeparat piscinam
Languoribus medicinam.

2. Nam piscina probatica
Per quinque portus mystica
Plagas sacrati corporis
Nobis ostendit miseris.

3. Si tu jaces in peccato,
Pedum vulnera memento,
Purgant effectus intimos,
Pellunt defectus noxios.

4. Si jam bonum operaris,
Manus fixas intuearis,
Ut in bonis operibus
Fixus sis et fortissimus.

5. Perfecti qui coelestia
Participant mente pia,
Sumant per vulnus lateris
Pretiosum osculum cordis.

6. Per haec sacrata vulnera,
Pie Jesu, nos libera,
Qui cum patre unus Deus
Manes, et sanctus spiritus.

Brev. Turonense imp. Parisiis 1522.

14. De Vulneribus DN.

Ad Laudes.

1. Summus sacerdos in ara
Crucis se ipsum obtulit,
Ut a morte nos amara
Redimeret, quos condidit.

2. Sic propriis olim David
Propter gregem manibus
Os leonis laceravit
Se offerens pro ovibus.

3. Quinque lapillos torrentis
Paravit limpidissimos,
Ut fastus profanae gentis
Sterneret ferocissimos.

4. Sic per quinque Christi plagas
Antiquus hostis vincitur,
Et per fortis portae rimas
Mel et lac nobis oritur.

5. Fons de saxo durissimo
Salit cunctos vivificans,
Et cum cruore roseo
Formatur sponsa militans.

6. Sit laus nostro redemptori,
Quino transfixo vulnere,
Quem pro nobis pater mori
Jussit cum sacro flamine.

Brev. Turonense imp. Parisiis 1522.

15. De Vulneribus DN.

Ad Vesp. et Tertiam.

1. Collaudemus venerantes
Passionem Domini,
Plagas ejus recolentes,
Fructuosas homini,
Toto corde congaudentes
Ejus sacro nomini.

2. Nam hic Deus ab aeterno
E coelis descendere
Dignatus est et materno
Ablactari ubere,
Ut sanaret nos interno
Lapsu mortis miserae.

3. Circumcisus puer crescit,
Duodennis disputat,
Coeli fructus maturescit,
Baptizatur, praedicat,
Traditur nec contradicit
Nec se poenis abdicat.

4. Innocens flagella subit,
Laceratur ictibus,
Fel, acetum ore bibit,
Perforatis manibus
Pedibusque mortem obit
Justus pro nocentibus.

5. Omnes ergo Jesum, natum
De Maria virgine,
Vere passum, immolatum
In cruce pro homine,
Veneremur et beatum
Parentem cum flamine.

Horae canonicae de quinque plagis . . . secundum metropolitanae ecclesiae Turonensis usum, imp. s. l. et a.

16. De Vulneribus DN.

Ad Laudes.

1. Christus factus obediens
Humilem se exhibuit,
Servi formam suscipiens
Libenter pati voluit.

2. Terrores, contumelias,
Colaphos et convicia,
Mille tulit angustias
Dura pressus injuria.

3. Laceratur vulneribus,
Spinis ornatus ducitur,
Vestigiis et manibus
Clavis cruci configitur.

4. Felle potatus sitiens,
Exspirat post supplicia,
Scripturis finem faciens
Loca praedatur impia.

5. Tanta passus, dum viveret,
Ferro latus praemortuum
Non subtraxit, ut solveret
Nostri reatus debitum.

6. Crucifixo sit gloria
Patrique cum paraclito,
Qui nobis coeli gaudia
Donet plagarum merito.

Horae canonicae quinque plagarum . . . secundum metropolitanae ecclesiae Turonensis usum, imp. s. l. et a.

17. De quinque plagis DN.

1. Amore victus filius.
Paterna jussa deferens,
Crucis dolores suscipit
Vitae reserans ostium.

2. Amoris abdidit Deus
Vulnus sacrato pectore.
Quod implet ejus copia
Dolentiore vulnere.

3. Nec te dolor nec hic amor,
Ingrate homo, perculit
Nec frangeris miraculo,
Quo vis relucet numinis.

4. Nimis piam in faciem
Intende mentis oculos.
Versa est cutis in scabiem
Propter vetus piaculum.

5. Est sanitatis inscia
Caro referta vulnere,
Plena malis est anima
Suis relicta viribus.

6. Tantus labor non te movet,
Redemptionis pretium,
Saltem Maria fletibus
Te feriat suspiriis.

7. Vel gladius pertransiens
Interna piae virginis
Pulset pectus lasciviens
Caeno jacentis hominis.

8. Deo patri sit gloria
Vulneratoque homini
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. ex. Cod. Lugdunens. 476.

18. De Corona Spinea.

Ad Vesperas.

1. Aeterne rex altissime,
Reddens coronas perditas.
Coronam locas optime,
Ubi per fidem habitas.

2. Theologiae regia,
Parisiense speculum,
Coronae fit custodia
Custodientis populum.

3. Vitae coronam reperit
Corona mortis anxiae,
Quo mors soluta deperit,
Datur triumphus gratiae.

4. Tu fructus trium seminum,
Jesu, corona virginum,
Corona continentium,
Conjugatorum praemium.

5. Qui tanto diademate
Nos honorat in stadio,
Cum utriusque pneumate
Sit laus patri cum filio.

Brev. ms. Senonense saec. 13. Cod. Parisien. 1028. A. — Brev. Senonense imp. Parisiis 1519. B. — Brev. Autisiodorense imp. Cabeliae 1483. C. — Dieses und die beiden folgenden Lieder sind die unter Ludwig IX. aus Anlafs der feierlichen Überführung der Dornenkrone in die Sainte Chapelle gedichteten Hymnen in ihrer Urform. Vgl. Analecta V. S. 30 u. ff.

19. De Corona Spinea.

Ad Nocturnum.

1. Corona Christi capitis
Membra coronat hodie,
Honoribus exhibitis
Concordat vox laetitiae.

2. Regi Francorum mittitur
Corona regis omnium,
Suscipiamus igitur
Salutis hoc exenium.

3. Hujus coronae mysticae
Suscepto patrocinio
Vox regionis Gallicae
Consonet cordis gaudio.

4. Sertum signat victoriam,
Qua Christus mortem expulit,
Spinae nostrae miseriam,
Quam caput nostrum sustulit.

5. Qui tanto diademate
Nos honorat in stadio,
Cum utriusque pneumate
Sit laus patri cum filio.

Brev. ms. Senonense saec. 13. Cod. Parisien. 1028. A. — Brev. Senonense imp. Parisiis 1519. B.

20. De Corona Spinea.

Ad Laudes.

1. Deus, tuorum militum
Sors et corona, praemium,
Tuae coronae meritum
Confert medelam omnium.

2. Tua corona spinea
Tuos coronet aurea,
Tua nobis humilitas
Poenas repellat debitas.

3. Tuae coronae radius
Illuminat Parisius,
Totam decorat Galliam
Dans gratiam et gloriam.

4. Nostra conservat regio
Tibi thesaurum inclitum,
Imminente judicio
Resumes hoc depositum.

5. Qui tanto diademate
Nos honorat in stadio,
Cum utriusque pneumate
Sit laus patri cum filio.

Brev. ms. Senonense saec. 13. Cod. Parisien. 1028. A. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisien. 746 a. B. — Brev. Senonense imp. Parisiis 1519. C. — Brev. Autisiodorense imp. Cabeliae 1483. D. — Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. E. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. F. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. G.

Vorstehendes ist die Urform des Liedes; später wurden Str. 3 u. 4 geändert (3 in BEFG, 4 in EF):

3. Tuae coronae mysticae
Suscepto patrocinio
Jubilus vocis melicae
Concurrat mentis gaudio.

4. Sancta conservat regio
Tibi thesaurum inclitum,
Imminente judicio
Resumes hoc depositum.

1, 4 Confer EFG. — 2, 4 repellit G. — 3, 1 Tuae corona justitiae E. — 3, 3 Jubilo F, jubilis E. — 4, 1 conservet E. — 4, 2 Ubi thesaurum EF; die ganze Strophe fehlt G. — Cfr. Morel p. 38.

20b. De Corona Spinea.

Ad Parvas Horas.

O corona, spes unica,
O redemptorum gloria,
Mundana post naufragia
Nobis coronas duplica.

Brev. ms. S. Coronae saec. 14. Cod. Pragen. XII A 22. A. — Brev. ms. S. Georgii Pragen. saec. 14. Cod. Pragen. XIII C 1 a. B.

21. De Sancto Sudario.

Ad Vesperas.

1. Gaude, felix Vesontio,
Ditata sacro pignore,
Cujus tuta protectio
Praeservat omni tempore.

2. Corpus sepulchro positum
Mox nobilis decurio
Aromatibus conditum
Involvit hoc sudario.

3. O mira Dei bonitas,
In isto linteamine
Christi paret humanitas
Impressa suo sanguine.

4. Piscina vere nobilis,
Quinque patens porticibus,
O sindon admirabilis,
Quinque fulgens vulneribus.

5. Illic jacebant languidi,
Caeci, claudi et debiles,
Spectantur hic innumeri
Reges, duces ac nobiles.

6. O signum venerabile
Piis atque fidelibus,
O velum formidabile
Pravis ac infidelibus.

7. Ave, sindon dignissima,
Signata Christi sanguine,
Sit nobis securissima
Salus in hoc velamine.

Offic. ms. s. Sudarii saec. 16. in. Cod. Bisuntin. 89.

22. De Sancto Sudario.

Ad Matutinum.

1. Jam sacris ritibus signum mirabile,
Praestans hominibus trophaeum nobile
Et reddens omnibus numen placabile,
Colitur a fidelibus.

2. Christi recolitur mors acerbissima,
Quando distenditur in plebe maxima
Spectanda gentibus sindon dignissima
A praelatis insignibus.

3. Corpus dominicum de cruce tollitur
Et ad Judaicum morem involvitur
Linteaminibus et mixta ungitur
Myrrha cum aromatibus.

4. Maria praevenit valde diluculo
Nec Jesum invenit in suo tumulo,
Petrus subsequitur cum hoc discipulo,
De quo dictum: non moritur.

5. Hic currit citius, sistit in ostio,
Spectat interius una cum socio,
Vela considerat, quibus decurio
Corpus Christi involverat.

6. Fac, Christe, petimus, ut tua passio,
Quando committimus, fiat remissio,
Ad coeli gloriam sit resurrectio
Et ad mortis victoriam.

Offic. ms. s. Sudarii saec. 16. in. Cod. Bisuntin. 89.

23. De Sancto Sudario.

Ad Laudes.

1. Exsultet plebs fidelium
In sindonis solemniis,
Concordet mentis gaudium
Cum choris et harmoniis.

2. Quam felix es, Chrysopolis,
Facta Christi palladium,
Quam insignis metropolis,
Sudarii sacrarium.

3. Servat devota civitas
Thesaurum ineffabilem,
In quo Christi humanitas
Dat se plebi spectabilem.

4. Sindon, signum victoriae,
Quo mors soluta deperit,
Praefert trophaeum gloriae,
Quo mundus vitam reperit.

5. Christe, nostra redemptio,
Conserva pignus inclitum,
In extremo judicio
Nos salvet hoc depositum.

Offic. ms. s. Sudarii saec. 16. in. Cod. Bisuntin. 89.

24. De Sindone DN.

Ad Vesperas.

1. Gaude, mater ecclesia,
Laetam agens memoriam,
Quae sindonis solemnia
Mittis ad coeli curiam.

2. Joseph dimisso pallio
Liber fugit nova sorte,
Sancto relicto linteo
Christus surrexit a morte.

3. Aurum in petra latuit
Et sol fulgens sub modio,
Christus triduo jacuit
Clausus servato ostio.

4. Lectus regis Salomonis,
Cella plena aromatum,
Vellus fusum Gedeonis,
Hortus clausus charismatum.

5. Inclite, sindon linteum,
Ut tradunt evangelistae,
Et ad caput sudarium
Te contegunt, Jesu Christe.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre, sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Tarantasiense saec. 15. Cod. Parisien. 18 000. A. — Officium cum missa s. Sindonis, sudarium Christi vulgariter nuncupatae, per sacrae theologiae professorem, Fratrem ordinis praedicatorum, Illustrissimi principis Caroli secundi, ducis Sabaudiae noni, confessorem editum. Imp. Gebennis s. a. B.

25. De Sindone DN.

Ad Laudes.

1. Hymnum novae laetitiae
Dulci productum cantico
Chorus depromat hodie
Pro linteo Dominico.

2. Petra in petra latuit,
Vermis fuit et non homo,
Leo prostratus jacuit,
Christus humilis in humo.

3. Concha plena aromatum,
Testa nardi conquassata,
Latet sidus obumbratum,
Margarita conculcata.

4. Granum mundum a palea,
Corpus jacet exanime,
Vellus siccum in area,
Cadit Deus pro homine.

5. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Tarantasiense saec. 15. Cod. Parisien. 18000. A. — Officium s. Sindonis imp. Gebennae s. a. B.

26. De Sancto Sepulchro.

Ad Vesperas.

1. Gaude, mater ecclesia,
Nova reducens gaudia,
Christi sepulchrum gloria
Celebrando solemnia.

2. Cujus sepulchri mystici
Suscepti beneficio
Hymnus de corde supplici
Jungat coelorum gaudio.

3. Honor et benedictio
Sit Jesu, Dei filio,
Qui passus est pro populo
Et quievit in tumulo.

4. Tuum sepulchrum, Domine,
Sic nos purget a crimine,
Ut mereamur requie
Frui coelestis gloriae.

5. Gloria tibi, Domine.

Diurn. ms. Gerardimontanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 8910.

27. In Coena Domini.

Ad Mandatum.

R° Ubi caritas et amor,
Deus ibi est.

1. Congregavit nos in unum
Christi amor,
Exsultemus et in ipso
jucundemur,
Timeamus et amemus
Deum vivum
Et ex corde diligamus
nos sincero.

2. Qui non habet caritatem,
nihil habet,
Sed in tenebris et umbra
mortis manet;
Nos alterutrum amemus
et in die
Sicut decet ambulemus
lucis filii.

3. Caritas est sumum bonum et
amplum donum,
In qua pendet totus ordo
praeceptorum,
Per quam vetus atque nova
lex impletur,
Quae ad coeli celsa mittit
se repletos.

4. Nam ut caritas conjungit
et absentes,
Sic discordia disjungit
et praesentes,
Unum omnes indivise
sentiamus,
Nec ut simul adgregati
dividamur.

5. Simul ergo cum in unum
congregamur,
Ne nos mente dividamus,
caveamus,
Cessent jurgia maligna,
cessent lites,
Vere in medio sic nostri
Christus erit.

6. Clamat Dominus et dicit
clara voce:
Ubi fuerint in unum
congregati
Meum propter nomen simul
tres vel duo,
Et in medio eorum
ego ero.

7. Haec per coccum priscae legis
figuratur,
Qui bis rubeo colore
tingebatur,
Quia caritas praeceptis
in duobus
Constat, quis Deus amatur
atque homo.

8. Ardua et arta via
ducit sursum,
Ampla est atque devexa,
quae deorsum,
Sed perennem dat fraternus
amor vitam,
Et perpetuam malignis
lis dat poenam.

9. Tota ergo mente Deum
diligamus
Et illius nil amori
praeponamus,
Inde proximos in Deo
ut nos ipsos,
Diligamus propter Deum
inimicos.

10. Unanimiter excelsum
imploremus,
Ut det pacem clemens nostris
in diebus,
Jungant fidei speique
opus bonum,
Ut consortium captemus
supernorum.

11. Gloriam aeterno regi
decantemus
Et pro vita dominorum
exoremus,
Multos ut cum ipsis annos
gaudeamus,
Propter quorum hic amore
congregamur.

Cod. Bruxellen. 8860—67 saec. 10. in. A. — Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 159 saec. 15. B. —

2, 3 Et in B. — 2, 8 lucis proles B, wohl Korrektur, weil filii als dreisilbig aufgefafst wurde. — In B ist die Ordnung der Strophen: 2, 6, 5, 3, 4. — 3, 1 et fehlt B, weil die Elision hinderlich wurde. — 4, 5 sqq. lauten in B:

Quia caritas praeceptis
in duobus
Constat, quibus Deus atque
omnis homo.

5, 7 sq. Et in medio sit nostri Christus Deus B; abermals Korrektur zur Vermeidung der Elision. — 7, 1 Et per coccum prisca lege B. — 7, 3 sq.. Qui colore tingi rubro Bis jubetur B. — 7, 5 sqq. lauten in B:

Vere amor dat fraternus
amor vitam
Et perpetuam malignam
dabit poenam.

7, 7 quibus Deus A. — Str. 8 und 9 fehlen B. — 9, 5 in Deum A. — Str. 11 fehlt B: an ihrer Stelle steht folgender Schlufs:

11b. Similis quo et beatis
videamus
Glorianter vultum tuum,
Christus Deus,
Gaudium, quod est immensum
atque probum,
Saecula per infinita
saeculorum.

Als Rundreim kehrt nach jeder Strophe wieder

Ubi caritas et amor,
Deus ibi est. —

Nach 11, 3 dürfte das Lied in einem Lande und zu einer Zeit gemacht sein, in denen mehrere Herrscher gleichzeitig regierten. Es legt sich dabei der Gedanke an das Frankenreich auch deshalb nahe, weil sich in dem von Mabillion edierten Missale Francorum ähnliche Stellen finden, z. B.: inclina ad preces humilitatis nostrae aures misericordiae tuae et Francorum regni adesto principibus, ut tua tranquillitate clementes, tua semper sint virtute victores. — Von diesem Hymnus stehn noch heute in dem Römischen Mefsbuche Pius des V. drei Strophen, nämlich 1, 5 und 11b, allerdings in Versikel aufgelöst und auch sonst verändert.

28. In Coena Domini.

Ad Mandatum.

1. Fuit Domini dilectus
languens a Bethania
Lazarus beatus sacris
olim cum sororibus,
Quas Jesus, aeternus amor,
diligebat plurimum,
Martham simul et Mariam,
felices per saecula.

2. Haec Maria fuit illa
Domino gratissima,
Quae unguenti pretiosi
rore mixto balsami
Ante diem festum Paschae
libram nardi pystici
Fracto fudit alabastro,
corpus unxit Domini.

3. Dabat dulcia per sacros
pedes strictim basia,
Non cessabat lacrimarum
resolutis crinibus
Undas tergere, sacratis
Domini de labiis
Audiebat verbum, domus
Fragrabat odoribus.

4. Fractum signat alabastrum
Jesu corpus mystice,
Quod in crucis est altari
passionis tempore
Fossum clavis et apertum
percussura lanceae,
De quo sanguis redundavit,
unda fluxit laticis.

5. Hoc de fonte pietatis
odor fragrantissimus
Emanavit, quo repletus
mundus illo caruit
Sordido foetore, dudum,
pro dolor, heu, miseri
Quem tulerunt protoplasti
serpentis de gutture.

6. Hoc de fonte mundus omnis
ablutus a crimine
Pretiosi modo spirat
odoris fragrantiam,
Candidis indutus stolis
scissa perizomata
Est exutus peccatorum
contexta de foliis.

7. Est Maria baptizata
hoc in fonte credula,
Est et Martha, quarum frater
infirmatus Lazarus
Mortis atque vitae stabat
summo in confinio,
Pro quo nuntium sorores
triste ferunt Domino.

8. Sed potenter est vivaci
suscitatus Domini
Cuncta verbo quod creavit,
quod gubernat saecula,
Et de mortis satis atro
revocatus barathro
Sacrosancto collocatus
convivat convivio.

9. Splendor lucis, te precamur,
sancte patris unice,
Qui cum patre Deus regnas
sanctoque cum spiritu,
Ut, quos proprio cruore
redemisti, servulos
A peccatis absolutos
mittas ad coelestia.

Pontificale ms. Pictaviense saec. 8/9. Cod. Parisien. (Arsen) 227. A. — Brev. ms. Matisconense saec. 15. Cod. Lugdunen. 477. B. — Brev. Matisconense imp. Lugduni 1521. C.

2, 4 rorem A. — 3, 8 Flagrabat A. — 4, 3 altare A. — 5, 2 flagrantissimus A. — 6, 4 flagrantia A. — 8, 4 saeculo A.

BC setzen das Lied an für das Fest der hl. Maria Magdalena, Str. 4 und 5, 8 und 9 fehlen ihnen, vor Str. 6 Divisio, nach Str. 6 die Strophe: Ecce Domine quem amas u. s. w. (Duemmler, Poetae Latini Aevi Carolini I, 134), Doxologie: Gloria et honor Deo usquequo etc. Die Varianten von BC haben kein Interesse, weshalb sie hier fortbleiben. In A steht das Lied zur Fufswaschung des Gründonnerstags nach dem Hymnus Tellus et aethra jubilent, der die Aufschrift trägt „Versus Flavii epi. ad mandatum“, und ist eingeleitet mit den Worten „Item versus Bedae“. Bei dem hohen Alter der Handschrift ist diese Angabe beachtenswert. Das Lied ist ein Teil (Str. 1—7) eines längeren Gedichtes, das bei Duemmler l. c. p. 133 sqq. unter den Gedichten Paulins von Aquileja steht. Str. 8 und 9 fehlen aber dort; sie scheinen fast gemacht, um das Lied zu kürzen.

29. Sabbato Sancto.

Ad Vesperas.

1. Deus, pater piissime,
Petenda nobis suggere
Et digna postulantibus
Ne differas diutius.

2. Da cor profunde poenitens
Cum lacrimarum flumine,
Quo diluuntur omnia
Verenda conscientiae.

3. Auge fidei gratiam
Statuque firma perpeti,
Ut non vacillet impetu
Nec Antichristi pessimi.

4. Da simplicem prudentiam
Et caritatem fervidam,
Qua certius signaculum
Non est tibi placentium.

5. Te pollicente credimus,
Quod haec prius quaerentibus
Addantur ultro cetera,
Quaecunque restant, commoda

6. Honor sit atque gloria
In sempiterna saecula
Tibi patri cum filio
Et spiritu paraclito.

Hymn. ms. Lirensis saec. 12. Cod. Ebroicen. 70. A. — Brev. ms. Carnotense saec. 13. Cod. Carnoten. 562. B. — Psalt. ms. Andegavense saec. 14. Cod. Andegaven. 106. C. — Brev. ms. saec. 14/15. Cod. Parisien. 1297. D. — Psalt. ms. S. Vincentii Cenomannen. saec. 15. Cod. Cenomannen. 134. E. — 6, 6 In sempiterna gloria D. — Für Dominica 1. in Quadragesima C.

30. In Resurrectione DN.

1. Venite, omnes populi,
Ad sanctissimum sepulchrum,
Accedamus cum tremore,
Regi veniam petamus.

2. Cum archangelis clamantes:
Dominus noster surrexit,
Almifica voce dicamus:
Benedictus rex aeternus.

3. O quam stupenda pietas
Gaudii magnae salutis,
Ecce, resurgendo dedit
Spem vitae ipse Dominus.

4. Rex, ecce, noster surrexit,
Omnes obviam curramus.
De sepulchro sanctissimo
Magno canentes gaudio.

5. O grande cunctis gaudium,
Surrexit quod altissimus,
Nostra quoque surrectio
Nobis adest credentibus.

6. Surrexit ergo Dominus
Permagno quidem gaudio,
Ut mereamur surgere
In tremendo judicio.

7. In sempiterna saecula
Consolati gaudeamus,
Consociati angelis
Laetemur cum archangelis,

8. Laudemus Christum jugiter
Cum patre semper manentem
Et spiritu sancto regentem
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Pictaviense saec. 15. Cod. Pictavien. 39. — 6, 2 Per modo quidem Hs.

31. In Resurrectione DN.

1. Hymnum canamus gloriae
In hoc paschali tempore,
Quia surrexit Dominus
Jesus, Mariae filius.

2. Accendens in patibulum
Tulit mortis chirographum,
Moriens mortem prostravit
Et Satanam debellavit.

3. Peccatum in cruce fixit
Exsolvens, quae non rapuit,
Pro nobis mori voluit,
Ne perderet, quos condidit.

4. Cum a morte suscitatur,
Spes redit et mors fugatur,
Homo captus liberatur
Et at vitam restauratur.

5. O grande cunctis gaudium,
Quod post mortis exsilium
Jesus, filius virginis,
Resurrexit a mortuis.

6. Sit, Christe, tua passio
Peccatorum ablutio,
Sit tua resurrectio
Aeterna jubilatio.

7. Cunctis tuis fidelibus
A te vitam sperantibus
Sit tua clarificatio
Aeterna gloriatio.

8. Gloria tibi, Domine,
Vitae dator et gloriae,
Cum patre ac paraclito
Jugiter absque termino.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

32. In Resurrectione DN.

Ad Tertiam.

1. Sol, luna, coelum, sidera,
Mons, vallis, alta, concava,
Fons, stagna, flumen, aequora,
Quidquid volat, repit, natat,

2. Qua voce quisque praevalet,
In laude Christi plaudite,
Redemptor orbis hac die
Ab inferis victor redit.

3. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre, sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. saec. 13. Cod. Parisien. 1287.

33. In Resurrectione DN.

Ad Completorium.

1. Pastor bonus fidelium
Qui semper exstas mentium,
Rapacis ore daemonis
Quos eruisti, protege.

2. Jam mortis a caligine
Tuo redemptos sanguine
Hac nocte serva propria
Nos, Christe Jesu, dextera.

3. Te, summa Deus trinitas,
Collaudet omnis spiritus,
Qui ruptis mortis vinculis
Vitae rependis praemia.

4. Tibi, redemptor, gloria
Cum patre, sancto spiritu,
Qui morte victa omnia
Regnas Deus per saecula.

Brev. ms. saec. 13. Cod. Parisien. 1287. A. — Psalt. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 74. B. — Brev. ms. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n. C. — 1, 2 exstat A. — 2, 1 sqq. fehlen BC, dafür: Quaesumus, auctor omnium. — 4, 1 sqq. Gloria tibi trinitas C.

34. In Festo Pentecostes.

Ad Processionem.

1. Lux solemnis, ave, Christus, per saecula salve,
Qua venit in terris, gloria summa patris.

2. Ecce, Dei proles, coeli, super ardua scandens,
Flamine bissenum donat in igne chorum.

3. Spiritus adveniens, ignis fervore calescens,
Corda pians ignit orsaque mira dedit.
4. En portant omnes Christi vexilla per orbem
Atque tonant linguis gentibus omnigenis.
5. Mentibus ex fuscis exstirpant hi mala cunctis
Daemone possessos dantque Deo famulos.
6. Corpora functorum lumen capiunt redivivum,
Cultores foedi sacra feruntque Dei.
7. Spiritus alme, dator donorum pacis et auctor,
Promissum superi crederis esse Dei.
8. Numine tu vates implesti vaticinantes,
Praecones clari quo fierent Domini.
9. Integra sacrasti tu matris viscera Christi,
Innuba quo pareret virgo manensque foret.
10. Compar tu patris procedis gloria prolis,
Tu terrae cyclum circuis et superum.
11. O patris et prolis flamen, nos spernere nolis,
Sed purga tenebras pectoris horridulas.
12. Jam tibi da sedem per pectora nostra perennem,
Expulsis vitiis cordibus omnigenis.
13. Cum moverit Christus mundum per sceptra tremendus,
Nos non cum reprobris sed velit esse piis.

Cod. Treviren. 120. add. saec. 11. — 1, 1 Christum. — 5, 1 exstirpant humala. — 11, 2 tenebris.

35. In Letaniis Majoribus.

℟ Votis supplicibus voces super astra feramus,
Trinus ut et simplex nos regat omnipotens.

1. Sancte pater, juva nos,
Sancte fili, salva nos,
Campar his et spiritus,
Junge nos intrinsecus.
2. Sancta mundi domina,
Stella maris Maria,
Tu pro nobis filium
Ora, Christum Dominum.
3. Summa sedis minister,
Quis ut Deus, Michael,
Cum supernis civibus
Sis nobis propitius.
4. Praeco Christi Johannes,
Agni Dei ostensor,
Redemptoris baptista,
Tu nos Deo commenda.
5. Sancte Petre ac Paule
Cunctique apostoli,
Vos orate pro cunctis
Christianis populis.
6. Juncti sancto Stephano
Universi martyres,
Estote auxilio
Populo catholico.
7. Sancte Galle, succurre,
Sancte Ottmare, subveni,
Nos cum confessoribus
Adjuvando precibus.
8. O martyr Felicitas
Cohors atque virginum,
Postulate pro nobis
Majestatis Dominum.

9. Omnes sancti Domini
Angeli et homines,
Vos ad aures divinas
Ferte preces sedulas.

10. Ut nobis remissio
Peccatorum donetur,
Aëris temperies
Terraeque fertilitas.

11. Pacem nobis imploret
Vestra intercessio,
Sanitatem corporum
Et perenne gaudium.

12. Ut famem et morbi vim
Amovere dignetur
Omnipotens Dominus,
Obtinete precibus.

13. Ut saeviens gladius
Et paganus populus
Depellatur a nobis,
Te rogamus, Domine.

14. Ut pastorem tueri
Nostrum velis et clerum,
Omnes simul oramus,
Jesu Christe, audi nos.

15. Ut rex noster Henricus
Ejus et exercitus
Hinc et inde servetur,
Oramus, Christe, audi nos.

16. Ut cruore redemptum
Pretiosum populum
Conservare digneris,
Oramus, Christe, audi nos.

17. Animas catholicas
In aeterna requie
Confoveri jubeas,
Oramus, Christe, audi nos.

18. Omnes tibi canimus,
Universi clamemus
Vocibus et cordibus:
Oramus, Christe, audi nos.

Trop. ms. Mindense anni 1024. Cod. Berolinen. IV° 11. — Die erste Hälfte des Liedes hat Mone (625) aus dem Münchener Clm. 14083, einer St. Emmeraner Handschrift des 11. Jahrhunderts herausgegeben. Er macht dazu die Bemerkung: „Nach Vers 23 wurde dies Lied im Kloster St. Emmeran zu Regensburg gemacht, womit auch die Anrufung des h. Benedictus und Gallus V. 27. 28. übereinstimmt, denn das Kloster gehörte zum Benedictinerorden und hing mit St. Gallen zusammen.“ Dies ist irrtümlich. Die versificierte Litanei stammt so gut wie die ähnlichen: Humili prece et sincera devotione und Ardua spes mundi aus St. Gallen. Die Emmeraner haben nur ihren Heiligen an die Stelle des hl. Stephanus, Benedict an die des hl. Gallus, Gallus an die Ottmars gerückt. Auch sonst in Mones Text höchst corrupt; seine Lesarten sind: 1, 1 adjuva. — 6, 1 O praesul sancte Emmerame. — 6, 2 et omnes martyres devote. — 6, 3 in auxilio. — 7, 1 O Benedicte pater pie. — 7, 2 Sancte o Galle doctor bone. — 7, 3 cum aliis confessoribus. — 8, 2 Et virginalis castitas. — 8, 4 Jesum Christum peccatis. — 9, 1 sancti Dei. — 9, 2 Nos exaudire dignemini — 9, 3 Et ad aures. — 9, 4 Ferte nostras miserias.

36. In Ascensione DN.

1. Adest dies sanctus Dei
Claro resplendens lumine,
Quo victor coelos potens rex
Christus exsultans petiit.

2. Quem turba tunc cum laudibus
Fortem resultans predicat
Regem triumphantem sequens
Intra polorum januas.

3. O rex supernae gloriae,
Qui patris in dextera sedes,
Tu nos vide clemens tuos
Nunc deprecantes servulos.

4. Da spem, fidem catholicam,
Da caritatis munera,
Grates pias rite ut tibi
Reddamus omni tempore.

5. Laus, honor, virtus.

Hymn. ms S. Gereonis Colonien. saec. 12. (Privatbesitz). A. — Psalt. ms. Coloniense saec. 14/15. Cod. Capit. Colonien. s. n. B. — 2, 1 nunc cum A.

37. De Corpore Christi.

Ad Laudes.

1. Panis iste dulcedinis
Totus est plenus gratiae,
Gestatus alvo virginis,
Summae Deus clementiae.

2. Hujus panis angelici
Saginemur pinguedine,
Tam suavis viatici
Delectemur dulcedine.

3. O coeleste convivium,
O beatorum gloria,
O requies humilium,
Duc nos ad coeli gaudia.

4. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Quibus hoc das edulium,
Felicem dones exitum.

Antiphonale ms. Wellegradense anni 1671. Cod. Pragen. XIV D 4 i. — Obschon die handschriftliche Quelle für dies Lied eine so späte ist, weist es sich doch durch den zweisilbigen männlichen Reim als ein Erzeugnis des 13. oder 14. Jahrhunderts aus.

38. De Corpore Christi.

1. Verbum supernum prodiens
Nec patris linquens dexteram
Ad opus suum exiens
Venit ad vitae vesperam.

2. Venit ad aegros medicus
Dans salutis remedia,
Venit doctor salvificus
Alta docens mysteria.

3. In mortem a discipulo
Suis tradendus aemulis
Prius in vitae ferculo
Se tradidit discipulis.

4. Quibus sub bina specie
Carnem dedit et sanguinem,
Ut duplicis substantiae
Totum cibaret hominem.

5. In divinis operibus
Nulla res sic mirabilis,
Nam nos cibat iste cibus
Manens indivisibilis.

6. Sumunt omnes et singuli,
Semperque tota sumitur
Veritas hujus pabuli,
Quod sumptum non consumitur.

7. Jesus nascens se socium,
Convescens in edulium,
Pendens dedit in pretium,
Se regnans dat in praemium.

8. O salutaris hostia,
Quae coeli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

9. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Antiph. ms. Signiacense saec. 12. Cod. Carlopolitan. 228 add. saec. 14. A. — Antiph. ms. Villariense saec. 13. Cod. Bruxellen. 6436. add. saec. 13. B. — Antiph. ms. S. Mariae de Marca saec. 15. Cod. Namurcen. 22. C. Diurn ms. Cistercien. saec. 15/16 Cod. Parisien. 1325 D. — Der Hymnus stellt eine Erweiterung des Frohnleichnamsliedes gleichen Anfangs dar, das Thomas von Aquin verfafst hat. Neu sind die Str. 2, 5 und 6, wenig verändert 7. Nach Str. 4 pflegt Divisio zu folgen.

39. De Corpore Christi.

1. Jesu, nostra refectio,
Panis, potus fidelium,
Mel, melos, jubilatio
Cordis, oris et aurium.

2. Quae te vicit clementia,
Ut nos in hac miseria
Carne cibares propria
Jungens imis coelestia.

3. Tu redemptor, tu praemium,
Tu nobis es communium
Medullatorum pingium,
Tu esto nostrum gaudium.

4. Qui nobis das tam dulcia
Praegustanda praeludia,
Te frui des in patria,
Beata nobis gaudia.

5. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui vino, pane refici
Det nos in coeli curia.

Diurn. ms. Lexoviense saec. 15. Cod. Parisien. 1323. A. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisien. 1300. B. — Antiph. ms. S. Martini de Estoviaco saec. 14. Cod. Parisien. 786. C. — Psalt. ms. S. Vincentii Cenomannen. saec. 15. Cod. Cenomannen. 134. D. — Brev. ms. Constantiense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 29 886. E.

40. De Corpore Christi.

Ad Nocturnum.

1. Splendor superni numinis
Laudisque sacrificium,
Coenam tui da numinis,
Tuae carnis et sanguinis.

2. Caro tua vere cibus,
Sanguis tuus vere potus,
Redemptionis hostia,
Tuarum pastus ovium.

3. O coeleste convivium,
O redemptorum gloria,
O requies humilium,
Aeterna confers gaudia.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Antiph. ms. Villariense saec. 13. Cod. Bruxellen. 268. add. saec. 14/15.

41. De Corpore Christi.

Ad Tertiam.

1. O quam magnum, quam praeclarum,
Panis vini sub specie
Natum patris animarum
Esse cibum quotidie.

2. Quod naturae vim excedit
Luce fusa de supera
Fides credit et obedit
Dirigens nos ad aethera.

3. Ergo nobis sit epulum
Christus, mentis substantia
Quo firmetur, et poculum
Corda replens laetitia.

4. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Quibus hoc das edulium,
Prosperum serves exitum.

Antiph. ms. Osterclovienſe anni 1498. Cod. S. Barbarae Gandaven. s. n. A. — Antiph. ms. Villariense saec. 13. Cod. Bruxellen. 268. add. saec. 14/15. B.

42. De Corpore Christi.

Ad Tertiam.

1. O vere digna hostia,
Per quam fracta sunt tartara,
Redempta plebs capivata,
Reddita vitae praemia.

2. Per hanc vitae solatium
Detur et quies temporum.
Pacis redundet commodum.
Sedetur omne scandalum.

3. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Psalter. cum hymn. imp. Lipsiae (Melch. Lotter) 1509.

43. De Corpore Christi.

Ad Sextam.

1. O salutaris hostia,
Quae coeli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur fer auxilium.

2. Ut fine nostri temporis
Poenis laxatis debitis
Per haec sacra mysteria
Regni sumamus praemia.

3. Hoc praestet summa deitas
Patris natique unici
Sanctoque cum spiramine
In sempiterno tempore.

Psalt. cum hymn. imp. Lipsiae 1509. — 2, 3 Haec sacra ministeria.

44. De Corpore Christi.

Ad Nonam.

1. Ave, corpus sanctissimum,
In ara crucis torridum,
Cruore cujus roseo
Gustando vivimus Deo.

2. Hujus frequens memoria
Praestet salutis gaudia,
Quae sine fine celebrant,
Quae cor ab imis elevant.

3. Sit trinitati gloria,
Honor, virtus, victoria,
Per omne jugiter aevum
Sit decus et imperium.

Psalt. cum hymn. imp. Lipsiae 1509.

45. In Inventione sanctae Crucis.

Ad Laudes.

1. Sanctae crucis mysterium,
A saeculis absconditum.
In Christi morte micuit
Vitam ministrans mortuis.

2. Crux peccati naufragium,
Crux veniae suffragium,
Ad animae remedium
Parat potens antidotum.

3. Salva, defende, libera
Corda in te credentia,
Tantorum plena munerum
Sis nobis vitae bravium.

4. Cujus ligni quadrifido
Regnat Deus a solio
Orbem salvans quadrimodum
A tyrannide daemonum.

5. Patri perenni gratia,
Par proli piae gloria,
Sit sancto laus spiritui
In saecula a saeculis.

Brev. ms. saec. 12/13. Cod. Carlopolitan. 14. — 3, 1 Salve, defende. — 3, 4 Sit nobis.

46. De Vita DN.

1. Alta proles sanctissima
Deum promissa nobilis,
Ut ros venit in vellere,
Replet mundum miraculis.

2. Beata quoque virginum,
Deum quae coeli genuit,
Qui totum mundum condidit,
Maria fert in utero.

3. Cunabulis infantia
Deum pannis involvitur,
Qui regnat in coelestia,
Vagit infans in praesepe.

4. Dum pastores pervigilant,
Migrantes jubar conspiciunt
Magi, sequentes inveniunt,
Christo munera offerunt.

5. Erodes miser invidus
Necare jubet parvulos,
Dum Christum vult occidere,
Salvare mundum qui venit.

6. Fugit Joseph in Aegyptum
Cum Maria et Domino,
Ut adimpleret scripturam
Prophetiae, quae dixerat.

7. Gelabat tunc diabolus,
[De coelo] qui ceciderat,
Timens venturo Domino,
Anguis Evam deceperat.

8. Helias venit provide
Johannes in aenigmate,
Esca urticae, habitu
Aequales zona cinxerat.

9. Jordanem Christus ingreditur,
Servus baptizat Dominum,
De coelo vox intonuit,
Columba infert chrismata.

10. Kana figuntur nuptiae
Jesu et matre Maria,
Implere jubet hydrias,
Aqua in vinum vertitur.

11. Legit vero ex omnibus
Duodecim apostolos,
Per quos, [quas] mundus continet,
Sortem dedit provincias.

12. Maria rigans lacrimis
Christi pedes cum Lazaro,
Jesus clamans, exsiliit,
Surgit mortuus de tumulo.

13. Negant Judaei perfidi
Videntes mirabilia,
Dum credere debuerunt.
Christo parant patibulum.

14. O gentem profanissimam,
Demum Judas ingreditur,
Agnus dat lupo oscula,
Christus Judaeis traditur.

15. Petrus a longe sequitur
Et Malcho aurem amputat,
Exspectans in praetorio
Ter denegavit hominem.

16. Quanta patuit divinitas,
Pro fratre vix quis moritur,
Ut vinceret diabolum,
Christus pro nobis passus est.

17. Recepto sancto corpore
Joseph in aromatibus
Cum sindone in tumulo
Magnum recondit thesaurum.

18. Sigillum signat tumulum,
Jesus vadit ad inferos,
Inferni claustra conterit,
Adam inde eripuit.

19. Tertia die resurgit,
In Galilaea praedicant
Videntes mirabilia,
Quae fecit Christus Dominus.

20. Videntibus discipulis
Christum circumdant angeli,
Coelum, terram suspiciens,
Jesus ad patrem revertens.

21. Xristus vadit in quadriga,
Coeli secreta penetrat,
Cum quatuor animalibus
In septimo throno sedet.

22. Ymnum canentes resonant
Tota coeli militia,
Agnus beatus revertens
Triumphans de diabolo.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. in. — 1, 1 prolis sanctissime. — 3, 2 Deum, wenn von einer Änderung des Textes Umgang genommen werden soll, als Pluralform zu fassen. — 3, 3 Zu der Verbindung in coelestia ist eine Erläuterung wohl nicht mehr nötig. — 7, 2 fehlen dem Verse 3 Silben. — 8, 1 praevide. — 8, 3 Esca uirtices. — 9, 4 crismate. — 10, 2 Jesum et matre Maria; ausgelassen ist, wie so oft (vgl. Analecta VII, S. 14), die Präposition. a, wenn zu lesen Jesu et matre Maria, per, wenn Jesum et matrem Mariam. — 11, 3 mundum; überdies fehlt eine Silbe; die im Text adoptierte Konjektur ist übrigens nicht die einzig mögliche. 12, 3 exsiliet. — 12, 4 Surget. — 14, 1 gente profanissima. — 14, 2 Juda. — 16, 2 vixque (vixq). — 17, 1 Recepit sancto. — 19, 1 die resurgitur. — 19, 2 praedicat. — 21, 4 throno resedet.

47. De Icone Salvatoris.

Ad Vesperas.

1. Jesu, solamen miseris,
Quem caritas de superis
Ad ima traxit et nostris
Immiscuit miseriis.

2. Nunc patris sedes a dextris
Morte acta sub pedibus,
Cum vindicari poteris
De tuis adversariis.

3. Qui velut canes rabidi
Pravorum patrum filii
Conantur in imagine
Paterno frui scelere.

4. Quae te vicit benignitas,
Ut tam scelestos sufferas,
Ut non ad nihil redigas
Sed et benigne revocas.

5. Qui non verentur caedere
Et clavis crucifigere,
In faciem conspuere,
Qua delectantur angeli.

6. Sed dum torrens a latere
Fluxit tuae iconiae,
Perfosso corde cuspide,
Aquae mixtae cum sanguine;

7. Hujus tactu vivifico
Sanatur a contagio
Omnis morborum passio,
Claret pater in filio.

8. Surgit a morte perfida
Judaica gens tremula
Et voce clamat quaerula,
Ut detur Christo gloria.

9. Laus patri sit ingenito,
Laus ejus unigenito,
Laus sit sancto spiritui,
Qui nos vocavit vivere.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. — 6, 2 tuae icone: vgl. das Wort inconia bei Du Cange. — 6, 3 Perfosso conti cuspide.

48. De Icone Salvatoris.

Ad Nocturnum.

1. Tunc coelum horruit et stupet ratio
Et sol erubuit nec recto radio
Cernere potuit scelus in populo,
Jam terra tremuit.

2. Cum poenas repetit propria natio,
Quas praesustinuit Christus, salvatio,
Dum passus obiit crucis in medio,
Virtus elanguit.

3. Mortem non pateris surgens a mortuis,
Sedens a dexteris patris et poteris,
Et tamen lateris foratu cuspidis
Virtus impetitur.

4. Non est iconia vitae ut mortua,
Quae cum inscinditur, effundit flumina,
Cruor dispergitur per aegra corpora,
Et salus redditur,

5. Horret gens perfida viso prodigio,
Jubet, ut hydria subdatur liquido.
Probatur gratia languentum numero,
Qui restituitur.

6. Probatur sanguinis et Christi veritas,
Dum aegris singulis reddatur sanitas,
Rumpitur ulceris caeca crudelitas,
Clamat gens perfida.

7. Patri cum filio communis gloria,
Sancto spiritui pia concordia,
Unique Domino laus sit et gratia
Per cuncta saecula.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. — 4, 1 wieder icone statt iconia, welch letztere Form der Vers fordert.

49. In Effusione Sanguinis DN.

1. Beatum nobis gaudium
Lux haec solemnis attulit
Christi pandens miraculum,
Per quod injustum pertulit.

2. Cruce sanguinem profundens
Pependit auctor saeculi,
Se pro impiis exponens
Spes, vita, salus populi.

3. Beati, quorum oculi
Visione recreantur
Sanguinisque sanctissimi,
Quo devoti liberantur.

4. Beata lux et celebris
Tanto clarens prodigio,
Quo sedenti in tenebris
Lux orta fuit impio.

5. Gloria tibi, trinitas,
Hujus datrix miraculi,
Laudes solventes debitas
Nos duc ad gaudia coeli.

Brev. Corisopitense imp. 1500.

50. In Effusione Sanguinis DN.

Ad Nocturnum.

1. Psallat chorus fidelium
Sedulo mentis studio,
Noctis frangat silentium
Nocturno plaudens jubilo.

2. Ut in laude salvatoris
Concinat plebs mortalium,
Dum recolit conditoris
Pergrande beneficium.

3. Siquidem gaudere decet
Subjectum Christo populum,
Dum ejus donum recenset,
Per quod detexit iniquum.

4. Gloria tibi, trinitas,
Hujus datrix miraculi,
Laudes solventes debitas
Nos duc ad gaudia coeli.

Brev. Corisopitense imp. 1500.

51. In Effusione Sanguinis DN.

Ad Laudes.

1. Plaudat chorus psallentium
Cum matutinis laudibus,
Christi canens praeconium
Cordis et oris nisibus.

2. Haec nobis arma tribuit
In amoris signaculum,
Quibus nos victor eruit
A morte vincens aemulum.

3. Laudes et laudans ferveat
Redemptorum devotio,
Quos tanto dono recreat
Redemptoris dilectio.

4. Patri, nato, spiritui
Sit laus semper et gloria,
Qui nos det festis perfrui
Aeternis post praesentia.

Brev. Corisopitense imp. 1500.

52. In perennis diem Sabbati.

1. Alma fulget in coelesti
perpes regno civitas
Hierusalem, quae est nostrum
celsa mater omnium.

2. Bonis dignam quam creavit
rex aeternus patriam,
Malis absque qua felices
fine nullo gaudeant.

3. Cujus multae mansiones
amplis insunt moenibus,
Namque suam quisque sedem
sumit factis congruam.

4. De communi sed vicissim
consolantur praemio,
Unus sacros inter muros
amor quos complectitur.

5. Excellentes immortali
statu coetus hominum
Angelorum mixti choris
laudem Christo concinunt.

6. Fide clarum patriarchae
comitantur Abraham
Deque sua stirpe nato
vota solvunt Domino.

7. Gaudens regem tenebrarum
victum canit legifer,
Promissumque olim suis
pandit regnum populis.

8. Hunc secuta prophetarum
ibi cernunt agmina,
Vitae nobis quam venturae
praecinebant gloriam.

9. Illic et apostolorum
sacer adest numerus,
Urbis celsa qui credenti
portas plebi reserant.

10. Karmen Christo triumphale
cantat chorus martyrum,
Quanto plura passus istic,
illic tanto laetior.

11. Laudem dicunt et adorant
viventem per saecula,
Suas mittunt et coronas
ante thronum aureas.

12. Mater ibi tua, Jesu,
turmas ducens virginum
Locum tenet intra laetae
muros urbis optimum.

13. Novum melosque te coram,
nullus alter quod valet,
Modulatur agmen sacri
stolis cleri candidis.

14. Omnes ibi reges justi,
duces, plebes, milites,
Senes una juvenesque
laudant nomen Domini.

15. Puellarum cohors felix,
matres simul et piae,
Sponsi gaudent in amplexu
taedis comptae lucidis.

16. Quas inducet rex in sua
sublimis cellaria
Ordinabit et in illis
caritatis copulam.

17. Rectos corde cunctos unum
perlustrabit gaudium,
Indistincta pro distinctis
sumunt actis praemia.

18. Solis nulla, nulla lunae
urbs egebit lampade,
Christus illam namque suo
totam lustrat lumine.

19. Templum ipsa nullum habet
manu factum civitas,
Ipse Deus hujus templum
est et agnus unicum.

20. Vitae sacra paradiso
vernat arbor medio,
Cujus uber jam beatos
alit fructus incolas.

21. eXultantes manifestam
Dei cernunt faciem,
Dant aequalem coaeternae
trinitati gloriam.

22. Ydri nulla pestis illic,
morti nullus est locus,
Salus edux ample totum
implet urbis ambitum.

23. Zona summae caritatis
circum totam plectitur,
Vera totam lustrat intus
Deus ipsa caritas.

24. Gloriosa Deo patri
dilectoque filio
Laus et honor et potestas,
una sancto spiritu.

25. Sicut erat ante cuncta
temporum principia,
Est et erit in aeterna
saeculorum saecula.

Cod. Londinen. Reg. 2 A XX. saec. 8/9. A. — Cod. Capit. Veronen. XC (85) saec. 9. ex. B. — Cod. Bruxellen. 8860—67 saec. 10. in. C. — Cfr. Duemmler l. c. p. 14, dem ich die Lesarten von B entlehne. A ist leider (das Lied steht auf dem letzten Blatte der Handschrift) stark beschädigt, namentlich die Strophen N, Y und Z. Eine ausführliche Beschreibung der Handschrift giebt W. De Gray Birch, An Ancient Manuscript of the eighth or ninth century (Hampshire Record Society) London und Winchester 1889 p. 101—113.

1, 1 celestis AB, eine Lesart, die sich (in coelestibus wie in excelsis) festhalten liefse. — 1, 2 regnum A, regna BC. — 1, 4 mater honimum B. — 2, 1 digna B. — 2, 4 sine nullo gaudebunt B. — 3, 3 unusquisque summit B. — 4, 1 commune C. — 4, 2 completantur B, conlaetantur C. — 5, 1 immortalem A, immortalis B. — 5, 4 concinnunt C. — 6, 2 comitantur habere B. — 6, 3 natum A. — 7, 1 Gaudent B. — 7, 3 suis olim BC. — 8, 4 praecinnebat gloria B. — 10, 1 Karnem B; triumphali B. — 10, 2 chorus cantat BC. — 10, 3 Quantum A. — 12, 1 choros ducens A, weniger gute Lesart in Anbetracht des Stabreims und der Assonanz in u. — 13, 1 melos qui BC; decoram B. — 13, 3 sacer B. — 13, 4 clari ABC. — 14, 2 plebes duces A. — 14, 4 laudent bei Dümmler dürfte Druckfehler sein. — 15, 1 chorus B. — 15, 3 amplexum BC. — 16, 1 adducet B. — 16, 2 sublimes A, sublime C. — 17, 2 replet ibi gaudium BC. — 17, 3 Qui distincta pro C, qui districta B. — 17, 4 sumunt dona meritis BC. — 18, 1 Solis nulla lune B. — 18, 2 sedebit lampade B. — 18, 3 Christi B. — 18, 4 lampat lumine BC; es ist schwer zu entscheiden, welche Lesart besser, da sich a und u (o) in die Assonanz teilen, doch scheint u vorzuherrschen. — 19, 1 ibi nullun B. — 19, 2 cujus templum B. — 19, 4 agnum B. — 10, 1 paradisum B. — 20, 2 medium B. — Str. 21 u. 22 fehlen B. — 21, 4 trinitatis A. — 22, 4 orbis C. — 23, 1 Zonam B. — 23, 4 ipse A. — Str. 24 u. 25 fehlen oder sind total erloschen A. — 24, 4 una cum sancto BC.

II.

DE BEATA.

53. De Beata Maria V.

Ad Nocturnum.

1. Filia divinitatis,
Genitrix humanitatis,
Te favente pater summus
Natusque nobis sit pius.

2. Opifera omnimoda
In fine nobis obtine,
Ut agnoscat blandissime,
Quos condidit mirifice.

3. Te ductrice comitante
Properemus agillime,
Ut cum civerit Dominus
Pulsando, laeti fiamus.

4. Laudatio deitati,
Splendificatrix, et tibi,
Tua nobis tuitio
Jugis sit suffragatio.

Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 277 saec. 11. fol. 58 a. — 3, 3 nur cum civerit Hs; ut und Dominus ergänzt.

54. De Beata Maria V.

Ad Laudes.

1. Splendidior omni Phoebo,
Flagita opitulando,
Ne soboles tua dulcis
Abdicet nos cum damnandis.

2. Inter valetudines omnes
Utrobique intuere,
Experiamur jugiter
Tuum adminiculamen.

3. In examine horrendo
Lacerto tegamur tuo,
Quo nefandissimus praedo
Arceatur continuo.

4. Laus trinitati unicae,
Deiferae perpes tibi,
Postulatione tua
Ab omni solvamur malo.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 64 a. — 2, 1 valitudines Hs. Der Vers hat eine Silbe zu viel. — 4, 4 malo fehlt Hs.

55. De Beata Maria V.

Ad Primam.

1. Rutilantior jubare,
Opaca nostra interna
Deifico illustrare
Lumine semper dignare.

2. Proli tuae dulcorosae,
Quae omni petitioni
Tuae obtemperat ultro,
Supplicare satagito.

3. Ut ejus faciem dulcem
Capiamus et hilarem,
Ipse herus nectareus
Suis nos misceat agnis.

4. Effigiatori salus,
Christigera, tibi simul,
Ope muniamur tua
Per climata universa.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 75 a. — 2, 4 Supplicare satagi Hs.

56. De Beata Maria V.

Ad Tertiam.

1. Virgo, quae ave perenne
A Gabrielis stomate
Sumpsisti, ex eo omnes
Nos effice participes.

2. Illuminatrix saeculi,
Genitrix regis aeterni.
Mentes nostras nebulosas
Celerrime irradia.

3. Templum Domini et almi
Sacrarium spiraminis,
Nocentia universa
Procul a nobis exstirpa.

4. Pacis latrix et gaudii,
Tuam flagita sobolem,
In necessitate nostra
Quo nobis det subsidia.

5. Gestatrix luminis veri,
Nostri memento figmenti,
Ne in tormentis aeternis
Puniamur profligati.

6. Trinitati summae virtus
Et tibi, Kyria, decus
Tuo postulatu jugi
Praesentemur plasmatori.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 78 a. — 4, 2 flagito Hs. — 5, 3 aeternis ergänzt.

57. De Beata Maria V.

Ad Sextam.

1. Genitrix intacta
Summi regis sola,
Patefac coelicum
Semper introitum.

2. Fenestra astrea,
Nobis sis pervia,
Ut cum prole tua
Gratulemur una.

3. O luna pulchrior,
Sole electior,
Auro praeclarior,
Quaeque pelle taetra.

4. Lucifera mira,
Stella matutina,
Obscura illustra
Praecordia nostra.

5. Laus patri prolique
Simulque flamini
Et tibi, spes nostra,
Reparatrix vera.

Cod. Oxonien. 277 saec 11. fol. 80 b. — 1, 3 Nobis patefac coelicum Hs. — 2, 2 praevia Hs. — 3, 4 Nostra quaeque pelle taetra Hs.

58. De Beata Maria V.

Ad Nonam.

1. Virgo, quae lucem saeculo
Edidisti, mater Dei,
Requiem nobis perennem
Impetra, regum domina.

2. Expiatrix facinoris
Gravissimae primae matris,
Restauratrix justitiae,
Nequitias nostras dele.

3. Momentulis et horulis
Ipsi supplices singulis,
Quo noxas deleat cunctas
Et vires det idoneas.

4. Gloria nato sit tuo,
Honor tibi detur, pia,
Pro nobis supplica illi,
Quem dominum protulisti.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 82b. — 1, 3 nobis perenniter Hs. — 3, 3 deleant Hs.

59. De Beata Maria V.

Ad Vesperas.

1. O mater sola et virgo,
Ex qua Deus est et homo
Natus, ipsum deposcere
Pro nobis stude sedule.

2. Quem amplexu dulcifluo
Tuum amplecteris natum,
Semper eidem supplica,
Quo nobis detur venia.

3. In universis nobis sis
Moderatrix, temperatrix,
Cooperatrix strenua
Per momentula singula.

4. Vitae tutrix et salutis,
Propitiatrix sis nobis
In omni angustia
Et formidine futura.

5. Patri, proli et flamini
Imperium et honor sit,
Tibi, basilea, virtus,
Guberna nos attentius.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 86b. — 2, 2 amplexeris Hs.

60. De Beata Maria V.

Ad Completorium.

1. Lux Eoa rutilior,
Sole lunaque clarior,
Ex qua ortus est Helios,
Reatus expia nostros.

2. Supplicatu diutino
Valide stipemur tuo,
Ne veneno basilisci
Perimamur pestiferi.

3. Per oscula gratiosa,
Jesu labellis tenellis
Quae dulciter impressisti,
Pie recordare nostri.

4. Genitori et genito,
Spiramini almigero
Perpes sit jubilatio,
Tibi. kyria, cum eo.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 87a — 1, 1 rutilici Hs. — 4, 4 Et tibi kyria Hs.

61. De Beata Maria V.

Ad Primam.

1. Summi mater principii,
Dei Maria filii,
Adesto nunc psallentibus,
Adesto nostris precibus.

2. Hostem et adversarium
Animarum fac languidum,
Nostrum esto solatium,
Esto nostrum et gaudium.

3. Mundos in tuis laudibus
Conserva nos a lapsibus
Tuique nati gratiam
Fac nos habere maximam.

4. Concedat tuus filius
Hoc Jesus benignissimus,
Cum patre et paraclito
Qui regnat sine spatio.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 92 b.

62. De Beata Maria V.

Ad Tertiam.

1. Maria, mater luminis,
Summae beatitudinis,
Intacta et mundissima
Et aula Dei nitida.

2. Tibi devote psallimus,
Te enim veram sapimus
Genitricem dominicam,
Totam ineffabillimam.

3. Deposce nobis veniam,
Precare indulgentiam,
Electorum consortium
Post nostrum quoque obitum.

4. Concedat tuus filius
Hoc Jesus benignissimus,
Cum patre et paraclito
Qui regnat sine spatio.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 94 a.

63. De Beata Maria V.

Ad Sextam.

1. Splendoris patris genitrix,
Totius mali perditrix,
Salvatrix nostri saeculi
Et causa summi praemii.

2. Ad te clamamus, audi nos,
Te laudamus, suscipe nos,
Ab omni malo redime
Et ab inferno exime.

3. Concede id et annue,
Quo nati tui facie
Gaudeamus assidue
In regno sine crimine.

4. Concedat tuus filius
Hoc Jesus benignissimus,
Cum patre et paraclito
Qui regnat sine spatio.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 95 a.

64. De Beata Maria V.

Ad Nonam.

1. Janua coeli inclita,
Maria beatissima,
Et virgo et puerpera,
Electa ante saecula.

2. Purga nostra facinora
Et universa crimina,
Quo tibi devotissima
Psallamus et purissima.

3. Inacriores oculos
Nostros redde idoneos
Ad intuendum radium,
Qui lumen manat maximum.

4. Concedat tuus filius
Hoc Jesus benignissimus,
Cum patre et paraclito
Qui regnat sine spatio.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 96 a.

65. De Beata Maria V.

Ad Vesperas.

1. O felix nimis femina,
Per quam tuta sunt saecula,
De qua dicuntur maxima
Per cuncta coeli spatia.

2. Huic supplicant angeli,
Hanc metuunt archangeli,
Omnes supernae curiae
Istam celebrant fulgidae.

3. Cuncta coelorum concio
Coram superno solio
Felicem illam praedicat
Beatam atque resonat.

4. Deo patri et filio
Cum flamine sanctissimo
Sit laus et jubilatio
Et nunc et sine spatio.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 98a.

66. De Beata Maria V.

Ad Completorium.

1. Templum Dei mundissimum
Totumque virtutifluum,
Sine exemplo femina,
Mater Dei et gerula.

2. Succurre cunctis miseris
Depressis sorde criminis,
Lapsis deposce veniam,
Indignis indulgentiam.

3. Ubique omnes protege
In nati tui nomine,
Qui credunt atque praedicant,
Quod sacra dicta recitant.

4. Concedat tuus filius
Hoc Jesus benignissimus,
Cum patre et paraclito
Qui regnat sine spatio.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 99b.

67. De Beata Maria V.

Ad Nocturnum.

1. Ad laudem matris Domini
Mente psallamus nobili
Propulso somno horrido
Omnique actu noxio.

2. Vita est sibi canere
Et in virtute pangere,
Cui cuncta coelestia
Laude resultant debita.

3. Nos simili officio
Sancto donati spiritu
Sic faciamus jugiter
Solemniter et dulciter.

4. Cui sit laus et gloria
Et amplitudo optima
Et nobile imperium
Per infinitum saeculum.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 101a. — 3, 2 donatae Hs. Zu ändern wegen Nr. 61, 5, 4.

68. De Beata Maria V.

Ad Laudes.

1. Lux mundi beatissima,
Maria splendidissima,
Coeli, terrae nobilitas
Sanctorum et festivitas.

2. Per te mundus salvatus est,
Per te sursum levatus est,
Per te mors damnatus est,
Per te vita donata est.

3. Te ardenter deposcimus
Supplicibus nunc vocibus,
Jam veni, dulcis domina,
Nostra tolle incommoda.

4. Bona confer coelestia,
Vitae beatae praemia
Instanti prece flagita
In tui nati patria.

5. Concedat tuus filius.

Cod. Oxonien. 277 saec. 11. fol. 103a. — 2, 3 fehlt eine Silbe an der Vollständigkeit des Verses.

69. De Beata Maria V.

Ad Vesperas.

1. Sol, casto nascens utero
Vesperascente saeculo,
Illustra nos perpetue
Nec declines in vespere.

2. Aeterni solis genitrix,
Tuis hoc magnis meritis
Age, quo perpes luceat
Nobis nec unquam occidat.

3. Gloria tibi, Domine.

Psalt. ms. Wintoniense saec. 15. Cod. Cantabrigen. Dd I 20.

70. De Beata Maria V.

Ad Matutinum.

1. Lux, quae luces in tenebris,
Ex alvo nata virginis,
Nostram noctem nos exue
Diemque tuam indue.

2. Maria, Dei thalamus,
Posce te venerantibus,
Virtutibus ut splendeant,
Quos reatus obtenebrant.

3. Gloria tibi, Domine.

Psalt. ms. Wintoniense saec. 15. Cod. Cantabrigen. Dd I 20.

71. De Beata Maria V.

Ad Laudes.

1. Praefulgens sol justitiae,
Ortus de sacra virgine,
Splendore tuo noxias
Nostras illustra tenebras.

2. Orientis castissima
Mater, fac nobis, domina,
Vita prorsus ut decidat
Vetus, nova proficiat.

3. Gloria tibi, Domine.

Psalt. ms. Wintoniense saec. 15. Cod. Cantabrigen. Dd I 20.

72. De Beata Maria V.

Ad Primam et Tertiam.

1. Maria, plena gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

2. Rogamus te per filium,
Per patrem, per paraclitum.
Adsis praesens ad obitum
Nostrumque muni spiritum.

3. Succurre, Dei genitrix,
Virgo benigna miseris,
Et tuis sacris precibus
Adjuva nos in omnibus.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre, sancto spiritu
In sempiterna saecula.

5. Orate, sancti Domini,
Pie pro nobis miseris
Et pro salvandis omnibus
Defunctis ac viventibus.

Brev. ms. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n.

73. De Beata Maria V.

Ad Sextam et Nonam.

1. Mater Dei sanctissima
Atque virgo perpetua,
Offer nos tuo filio,
In coelesti palatio.

2. Plena fide et meritis,
Mater Christi carissima,
Praesta tuae familiae
Regnare in coelestia.

3. Maria, plena gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

Brev. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n.

74. De Beata Maria V.

1. Precamur te, domina
Nostrae salutis unica,
Intende tuos supplices
Et juva pusillanimes.

2. Nostram vide miseriam,
Tuam confer clementiam
Et in coeli clarissimo
Nos colloca palatio.

3. Hanc, o rex regum, Domine,
Suscipientes suscipe,
In templo tuae gloriae
Bonis adimple gratiae.

Hymn. et Sequent. ms. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacen. 14667.

75. De Beata Maria V.

1. Gabriel, Dei archangelus,
Nostrae salutis nuntius,
Intonuit, sic Mariam
Salutans sacratissimam:

2. Ave, Maria inclita,
Tu plena Dei gratia,
Concipies per spiritum
Et generabis filium.

3. O virgo beatissima,
Supra coelos exaltata,
Exora pro monachorum
Devoto choro supplicum.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Anglicanum saec. 10. Cod. Londinen. Harl. 2961. A. — Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII. B. — Cfr. Stephenson l. c. 101. — 3, 3 pro populorum A, aus welcher Lesart hervorgeht, dafs B eine monastische Handschrift war, A aber nicht.

76. De Beata Maria V.

1. Maria, virgo virginum,
Exaudi vota servorum,
Jugi prece nos conserva
Ac te colentes adjuva.

2. Audemus proni rogare,
Audire nostros dignare
In tuo melos honore
Ac pro nobis intercede.

3. Juncta choris angelicis
Nos salva patrociniis,
Ut perpetim cum civibus
Gaudeamus coelestibus.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Anglicanum saec. 10. Cod. Londinen. Harl. 2961. A. — Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII. B. — 3, 3 Ut perpetuum A.

77. De Beata Maria V.

1. Maria, coeli regina,
Sanctitate gloriosa,
Audi preces famulorum
Et deprecare Dominum.

2. Qui totum mundum condidit,
In te formatus exstitit,
Quem mundus totus non capit,
In tuo ventre jacuit.

3. Hunc nobis nasci profuit,
A morte nos eripuit,
Pro nobis ipse mortuus,
Et nos per ipsum vivimus.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Anglicanum saec. 10. Cod. Londinen. Harl. 2961. A. — Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII. B. — 3, 1 Nunc nobis A.

78. In Conceptione BMV.

Ad Vesperas.

1. Naturam sumens hominis
Deus, ut hunc redimeret,
Signavit mentem virginis,
Ut illibata gigneret.

2. Stella refulgens oritur
Felix Maria saeculo,
Cujus fructu redimitur
Mundus a mortis vinculo.

3. Hanc Dominus gratificat
Virgoque parit filium,
Coelum, terram laetificat
Novi candoris lilium.

4. Virga summi pontificis
Mira virtute floruit,
Maria vero obicis
Gratiae semper caruit.

5. Templum Dei puerpera,
Plena superna gratia,
Sana peccati vulnera,
Confer beata praemia.

6. Patri, nato, paraclito
Laudes canamus jugiter,
Christus Mariae merito
Coronet nos perenniter.

Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisien. 1275. A. — Brev. ms. Fratrum S. Johannis saec. 15. Cod. Massilien. Eb 302. B.

79. In Conceptione BMV.

Ad Matutinum.

1. Lucem creator omnium
Divisit a caligine,
Sordis transfusae vitium
Fecit a matre virgine.

2. Throni decor mirabilis,
Pater cum eum recipit;
Non est Mariae similis,
Quae sine viro concipit.

3. Largire, virgo, quaesumus,
Debilibus suffragium
Assiduum, non possumus
Transferre pugnas hostium.

4. Caput draconis conteris
Tu sola, mundi domina,
Culpa nulla seduceris
Coeli transscendens agmina.

5. Arca servans dulcedinem,
Praesta devotas lacrimas,
Da carnis pulchritudinem,
Conforta nostras animas.

6. Patri, nato, paraclito
Laudes canamus jugiter,
Christus Mariae merito
Coronet nos perenniter.

Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisien. 1275. A. — Brev. ms. Fratrum S. Johannis saec. 15. Cod. Massilien. Eb 302. B. — Str. 2 fehlt A. — 2, 1 Proni decor mirabilis B, wohl durch falsche Initiale veranlafst. — 2, 2 lies: eam?

80. In Conceptione BMV.

Ad Laudes.

1. Alma cunctis virtutibus
Ditata, lapsos respice,
Ut tuis sistant precibus
Securi coram judice.

2. Tu petra fundens oleum,
Nobis salutem tribue,
Tu vas splendoris aureum,
Caecis lumen restitue.

3. Aurora surgit rosea,
Obscura nox repellitur,
Tela exstinguit ignea
Sacra virgo, dum nascitur.

4. Coeli pandatur janua
Nobis, Maria, propere,
In gaudia perpetua
Intremus tuo munere.

5. Patri, nato, paraclito.

Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisien. 1275.

81. De Conceptione BMV.

1. Concentu parili, virgo, cantabimus
Tuo conceptui carmen dulcisonum,
Munda quo progrederis
De spinis velut lilium.

2. Tu ex consilio Dei praevisa es
Nobis praesidio, placens ut pareres
Sancta sine macula
Divini patris filium.

3. Hinc ab initio, priusquam fieres,
Electa Domino, tanta ne caderes,
Es, ut tibi sisteret
Libertas sine crimine.

4. Ortus nobilitas, virtus et gloria,
Tota integritas datur a filio
Tibi, ut sic placeas
Patri divo munimine.

5. Absit, ut, apud quem plena potestas est,
Illi det munera fracta non integra,
Quam velit sublimari
Super omnem creaturam.

6. Sancta conciperis, hinc sancta nasceris,
Legi non subjaces, gratis exempta es,
Ob id te precantibus
Nobis vitam praesta puram.

7. Multum peccavimus, virgo, supplicibus
Nobis indulgeat, gratos nos faciat
Jesus tuis precibus,
Miseris sic miseratus.

8. Amor tuae matris, tu spes fidelium,
Fili summi patris, te cogat miserum
Emundare foetidum
Prece digna exoratum.

9. Patri cum filio, sancto paraclito
Honor, laus, gloria per tota saecula,
Quibus tria nomina,
Simplex tamen est usia.

Cod. Lubicen. (ol. Fol. 22) saec. 15. — Mel: Gaude visceribus.

82. De Conceptione BMV.

In 1. Vesperis.

1. In tanti festi gloria,
Quo colitur memoria
Virginis matris Mariae,
Compsallant voces variae.

2. Hodie mater gratiae
Destructrix et fallaciae
Annae ventre concipitur,
Salus reo incipitur.

3. Ut lux de face rutilat,
Obscurum prorsum mutilat
Corruptionis veteris
Paritura regem aetheris.

4. Sole a coelo renitet,
Sic patris vetus poenitet,
Dormit, dum parit filium,
Virgo praecandens lilium.

5. Cui laus, honor, victoria
In trinitatis gloria,
Unitatis essentia
Per saecula manentia.

Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20.

83. In Conceptione BMV.

Ad Vesperas.

1. Ecce, nova solemnitas,
Novum lucis initium,
Vetus marcet iniquitas,
Novum germinat gaudium.

2. Gaudet chorus coelestium,
Antiquus canis ululat,
Cardo concipit lilium,
In rosam spina pullulat.

3. In nube lux involvitur,
Gemma latet in cinere,
Dum Maria concipitur
In Hebraeorum genere.

4. Novum templum aedificat
Sibi nunc unigenitus
Summi patris, quod dedicat
Gratia sancti spiritus.

5. Si non esset conceptio
Neque foret nativitas,
Et sic sine remedio
Permansisset captivitas.

6. O Maria, flos virginum,
Cujus sancta conceptio
Luctus adducens terminum
Salutis in exordio.

7. Da tuam celebrantibus
Conceptionem gratiam,
Ut depositis sordibus
Evolemus ad patriam.

8. Deo patri sit gloria,
Sit virtus unigenito
Et aeterna victoria
Spiritui paraclito.

Brev. ms. Nivernense saec. 15. Cod. Dolen. 41. — 6, 4 Salutis in conceptio.

84. De conceptione BMV.

Ad Laudes.

1. En futura Annae Joachimque proles
Nunciatur concipiturque [nobis],
Crescet haec nobis, parietque virgo
Credula nobis.

2. Sidus hoc primum rutilare coepit,
Ut careremus tenebris opacis,
Ut procellosos via per timores
Tuta pateret.

3. Anne conceptus reticendus ille
Tantus ac talis? canit ecce terra,
Pontus exsultat recinuntque coelo
Phoebus et astra.

4. Interim toto studio canamus
Gloriam patri, genito sacroque
Pneumati, namque est Deus unus illis,
Ignis amorque.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1509.

85. In Nativitate BMV.

Ad Vesperas.

1. Maria, vitae janua,
Summae salutis bajula,
Sacrarium paracliti,
Virgo et mater Domini.

2. Celsae radix propaginis,
Cella divini germinis,
Regum orta progenie
Terris apparet hodie.

3. Haec mundo dedit gaudia,
Piis reclusit aethera,
Dum mittit Deum hominem,
Mundi triumphat principem.

4. Per te salvator omnium
Mundum redemit perditum,
Sacra virgo, fidelium
Culpas dele peccaminum.

5. Concedat hoc divinitas,
Ut haec sacra nativitas
Peccati sit remissio
Et boni retributio.

6. Sit tibi laus, altissime,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Nobiliacense saec. 13. Cod. Burdigalen. 85.

86. In Desponsatione BMV.

Ad Vesperas.

1. Gaude, proles Davidica,
Divina fulta gratia
Visa mente prophetica
Ante rerum exordia.

2. Joseph justo conjungitur
Legali matrimonio,
Castitatis emittitur
Votum Dei arbitrio.

3. Virgo conjunctus virgini
Castis se amant animis,
Optarunt et ferventius
Summo servire principi.

4. Summae virtutis copula
Illi beati conjuges
Reverenter se diligunt
Patris et natae nomine.

5. Gratum supremo Domino
Hoc praesens est conjugium,
Sempiternis temporibus
Omnem qui mundum temperat.

6. Rerum creator optime,
Qui natus es de virgine,
Mentes nostras illumina
Tua superna gratia.

Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. — 3, 2 se ergänzt.

87. In Desponsatione BMV.

Ad Nocturnum.

1. Haec dies celeberrima,
Aeternis digna laudibus,
Joseph conjunctam memorat
Hanc virginem gratissimam.

2. Hostis antiqui solitas
Hoc sublime conjugium
Fraudes relidat, aditum
Nobis dans vere coelicum.

3. Datus est eis filius,
Qui venerat divinitus,
Ut normam daret omnibus,
Erat utrique subditus.

4. Mater hujus infantuli,
Prece rogamus vigili,
Ducat nos ad coelestia,
Temporis metae nescia.

5. Moesta tuorum pectora,
Virgo, servorum refove,
Ut possint tuum libere
Matrimonium canere.

6. Laus immortali Domino
Et Christo, ejus filio,
Cum spiritu paraclito
In saeculorum saecula.

Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. — 4, 3 Duc nos ad. — 4, 4 Temporis mente.

88. De Annunciatione BMV.

1. Missus sacer a supernis
ad Mariam angelus
Castitatis uberalem
dictis his affatus est:
Ave, virgo gloriosa,
plena Dei gratia.

2. Spiritus divinus tuam
implet innocentiam,
Regum rex egrediatur
ut de tuo utero
Tamquam sponsus speciosus
de cubili proprio.

3. En concipies, Maria,
pariesque filium,
Quem sol iste radiusque,
luna tremit aurea,
Pelagi metuunt aquae
terraeque substantia.

4. Angelo haec prosequente
monitis dulcissimis
Virgo credidit et dixit:
en ancilla Domini,
Fiat mihi, ut dixisti,
et sim genitrix Dei.

5. Modulis nos ergo, fratres,
Dulcibus et consonis
Hominis Deique matrem
salutemus virginem,
Ut suam pro nobis prolem
deprecetur jugiter.

6. Salve semper benedicta
tu in mulieribus,
Quae papilla Deum nostrum
lactavisti carnea,
Quem gestare meruisti
inter sacra viscera.

7. O Maria, puellarum
omnium sanctissima,
Aufer clades famulorum
malaque praesentia,
Quae pro vita criminosa
patimur assidue.

8. Unde, supplices rogamus,
tua prece subleva
Filioque repraesenta
in aeterna gloria,
Quos interna reos mortis
Facit conscientia.

9. Praestet hoc pater aeternus
atque unigenitus
Procedensque ab utroque
spiritus paraclitus,
Est Deus qui semper unus
per aeterna saecula.

Brev. ms. Arelatense saec. 13. Cod. Carpentoracten. s. n. A. — Brev. ms. Arelatense saec. 14. Cod. Parisien. 1040. B. — Brev. ms. Arelatense saec. 15. Cod. Parisien. 1284. C. — Brev. ms. S. Victoris Massilien. saec. 15. (Privatbesitz) D. — Brev. Forojuliense imp. Taurini 1495 E. — Brev. Nemacense imp. s. l. 1499. F. — Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. G. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. H. — 1, 3 Castitatem B. — 3, 1 Tu concipies B. — 4, 1 haec persequente A.

89. De Annunciatione BMV.

1. A Deo missus Gabriel deorsum
In tuos venit, Galilaea, tractus
Atque pernici subiit volatu
Nazareth urbem.

2. De domo David sacer ille Joseph,
Hic ibi sponsam fuerat lucratus
Virginem virgo, dederat Mariae
Nomen Olympus.

3. Jussa dum praeco celerat tonantis,
Illius clausum thalamum subintrat,
Grandibus verbis vigilem salutat
Atque precantem.

4. O, ave, dixit modulator ille,
Gratia plena, dominusque tecum,
Conjuges inter benedicta, cunctis
Das benedici.

5. Obstupet tantis humilis puella
Laudibus, sed cum celer ille praeco:
Nil perhorrescas, ait, o Maria,
Nil verearis;

6. Te Deo gratam satis ipse novi,
En tuus venter capiet feretque
Filium, quem tu proprio vocabis
Nomine Jesum.

7. Hic erit magnus sobolesque summi,
Cui patris David dabit ille sedem,
In domo Jacob geret ipse sceptrum
Non periturum.

8. Quomodo fiet, petiit Maria,
Id, quod affirmas, quoniam viriles
Nescio tactus; memorat subinde
Nuntius ingens:

9. Spiritus sanctus veniet super te,
Ac obumbrabit tibi summa virtus,
Ergo, quod sanctum paries, erit par
Credere pneumen.

10. Ecce quam nosti sterilem senili
Ventre cognatam tibi lacrimasse,
Filium cepit modo nec senectus
Obstitit illi.

11. Mensis hic sextus parietque tandem,
Hanc tamen turbae sterilem vocabant,
Non erit, quod non valeat voluntas
Visque suprema.

12. Ecce, respondit docilis puella,
Mystici ancillam Domini supremi,
Fiat, ut dicis, mihi, moxque verbum
Est caro factum.

13. Gloria patri genitaeque proli,
Flamini sancto virginique matri,
Quae Dei natum genuit hominem,
Sit laus perennis.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae. 1509. — Str. 1—8 ad Vesperas, Str. 8—13 ad Laudes. Auffallend ist die, offenbar entlehnte, akzentuierende Doxologie.

90. De Visitatione BMV.

Ad Nocturnum.

1. Plaude, Jerusalem, occurrens virgini,
Quam multifarie prophetae Domini
Olim praefati sunt affatu nobili,
Ecce venit de Nazareth.

2. In plenitudine sacrati temporis,
Felici germine concepto sterilis,
Misit altissimus in alvum virginis,
Redemptorem Emanuel.

3. Exsurgens igitur virgo lectissima
Montana petiit, relinquit infima,
Festinans propere ut prudentissima
Fugit tumultus saeculi.

4. Laetare, Israel, exsulta nimium,
Absterge lacrimas, depone taedium,
Venit salus tua in colles montium,
Ut visitet Elisabeth.

5. Laetetur mons Sion, exsultent filiae
Judae, jam sileat mare, mitigetur,
Discedat caligo, inclinentur umbrae,
Jam venit stella ex Jacob.

6. Electi concinant chorus angelorum
Dulcesque personent cantus ante thorum
Hujus Sunanitis, canticum decorum
Dulce sonet Magnificat.

7. Paterno lumini sancta praeconia
Prolique numini honor et gloria,
Sit decus flamini, in quo sunt omnia,
Per infinita saecula.

Brev. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Parisien. 13234. — 3, 2 infirma. — 6, 2 cantus cantent ante. — 6, 4 Dulci sonet.

91. De Visitatione BMV.

In Laudibus.

1. Vox clara dulcis sonuit,
Vox turturis audita est,
Cum virgo Dei genitrix
Salutavit Elisabeth.

2. Verbum suave protulit
Virgo mitis eloquio,
Quod dulciter ut tonuit,
Gaudet infans in utero.

3. Congaudet mater filio
Repleta sancto flamine,
Quae longo sterilitatis
Laboravit certamine.

4. Amplectens ergo virginem
Caritate mirabili
Prophetat ineffabili
Rore perfusa coelitus:

5. Beata, quae divinitus
Credendo digna facta es,
Ut Dominum conciperes
Intacta manens penitus.

6. Plaude, quia complebuntur
In te cuncta, quae audisti,
Et per haec, quae meruisti,
Omnes te deprecabuntur.

7. Ait virgo: Magnificat
Anima mea Dominum,
Qui pro salute hominum
Me tanta spe laetificat.

8. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.

9. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Hispalense saec. 15. Cod. Parisien. 13234. — 2, 2 Virgo mittit eloquio. — 4, 1 Amplectentes ergo.

92. De Visitatione BMV.

1. Hunc diem festum veneremur omnes,
Quo Deus nostrum miseratus aevum
Cum novis signis oriens ab alto
Visitat orbem.

2. Cesset humani generis quaerela,
Virginis claustrum subiit redemptor,
Gyrat et coelum recubans sub arto
Tegmine matris.

3. Dum latet subtus trabea decenti,
Angelus cedit repetens Olympum,
Transilit clivum gravidata divo
Munere virgo.

4. Obviam fetae sterilis vocata
Clamat, ut sentit puerum moveri
Inter obscuras positum latebras
Carcere ventris.

5. Parvulus miles Dominum salutat
Et suum complet Dominus clientem,
Hesperus tandem rutilat corrusco
Lumine solis.

6. Fit sator rerum similis creatis
Parque censetur catulus leoni,
Par Deus servo, minimus giganti,
Cedrus Hysopo.

7. Quod chorus vatum pariterque regum
Semper optabat fruitur nec ipso,
Lumen in vulvae tenebris refulgens
Percipit infans.

8. Per duos muros uteri sacrati
Principem pacis meruit videre,
Hinc agnus lustrat, radius perennis
Luminis, alvum.

9. Ceteri vocem pueri vagitus
Sorde nascentes referunt priorem,
Unus in cunctis alacris Joannes
Praevenit ortum.

10. Patris aeterni genitura praesens
Consecrat vatem solidatque servum,
Virgo cum plausu cecinit, futura
Et vetus aetas.

11. Quam Deo dignus thorus est uterque
Prole cum sancta meritis onustus,
Qua piae matres teneros refundunt
Germine foetus.

12. O Dei nostri genitrix Maria,
Visita mentes hodie tuorum,
Ut tuo fructu satietur agmen
Criminis expers.

13. Qui tuo Christo reparas lucernam
Non palam sed sub modio latentem,
Hunc chorum turmis precibus Mariae
Junge supernis.

Brev. ms. S. Victoris Parisien. saec. 16. Cod. Parisien. 14814. Str. 1—5 ad Vesp.; 5—9 ad Nocturn.; 9—13 ad Laudes. — 3, 2 recubens. — 9, 3 cunctos.

93. De Visitatione BMV.

Ad Laudes.

1. Ingressa domum placidae consortis
Virgo decentem normulam vivendi
Docet exemplo pariterque verbo,
Testantur gesta.

2. Artus convictus, humilis vestitus,
Castus et justus, fortis atque prudens
Cultus divinus, labor indefessus
Hanc semper ornant.

3. Studium docet pietatis amplae
Rite servare caritatis formam,
Cunctos complecti praedicat exemplo
Nati communis.

4. Mire formatum talis actionis
Totum processum si quis contemplatur,
Opera novem gessit angelorum
Mente devota.

5. Hoc actu nitent amor atque splendor,
Robur et quies, virtus et potestas,
Regimen altum, salus atque vita,
Pervigil cura.

6. Nullus post Christum animus humanus
Tanta suscepit dona gratiarum.
Quanta Mariae spiritus erectus
Carpsit abunde.

7. Summo parenti genitoque verbo,
Flamini sancto gloria perennis,
Quorum afflatu genitrix et proles
Christum adorant.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisien. 760.

94. De Visitatione BMV.

In 2. Vesperis.

1. Mens elevetur mira contemplando,
Quae circa natum gessit Zachariae
Regia virgo, dum sedet in matris
Claustro Johannes.

2. Omnis doctrina clamat naturalis:
Mentis a sensu ratio primaeva
Recipit ortum; canon iste fallit,
Clamat Johannes.

3. Legis definit sanctio probata:
Fit testis aetas tempore matura;
Jus hoc excludit actio beata,
Docet Johannes.

4. Gaudium planctus ordine naturae
Semper in prole noscitur praeire;
Hunc physis cursum tollit stella maris,
Testis Johannes.

5. Stupet humana ratio de miris,
Quae virgo gessit in aede parentis;
Quaestio cesset, ubi summa virtus
Vires apponit.

6. Summo parenti genitoque verbo,
Flamini sancto gloria perennis,
Quorum afflatu genitrix et proles
Christum adorant.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisien. 760. A. — Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2872. B.

95. De Visitatione BMV.

Ad Vesperas.

1. Festa pia solemnia
Nobisque plena gaudia,
Exultemus in jubilo
Cantantes corde coelico.

2. Quia quae Dei filium
Portabat tamquam lilium,
Eo gravida coelitus,
Fecunda sancti spiritus,

3. Scandens montana fervida
Virgoque dono provida
Elisabeth conjungitur,
Quae mater coeli panditur.

4. Nam prius erat sterilis,
Effecta mater docilis
Sancti prophetae lucidi
Quae clamat matris Domini.

5. Sancto Joanne clauso
Ventre secreta bajulo
Testantur sine sonitu,
Quae sunt conclusa spiritu.

6. Hoc aperiri cupimus,
Qui spiritum expandimus
Trino Deo et unico,
Qui regnat sine termino.

Brev. ms. Servorum BMV. Venet. anni 1473. Cod. Oxonien. Douce 314. A. — Brev. Humiliatorum imp. Mediolani 1483. B. — 1, 1 pie A. — 5, 4 sunt clausa spiritu B. — B fügt diesen und die folgenden Hymnen dem Officium des Adam Anglicus, A eigenem Officium ein.

96. De Visitatione BMV.

Ad Nocturn.

1. Profundo noctis termino
Cantemus corde fervido,
Carnis recedant formulae,
Subintrent lucis famulae.

2. Lux, veritas et deitas,
Qua sic nostra humanitas
Jucundatur mirifice,
Illustret nos deifice.

3. Exsultat infans gremio
Affixus in femineo
Elisabeth dum geritur,
Maria felix dicitur.

4. O felix mater, deferens
Et tanta festa ingerens,
Virgo, sacratum puerum
Deliciarum uberum.

5. Te felix infans satiet,
Per te praesentem agitet
Festa, quae cunctis saeculis
Non sunt transfusa ceteris.

6. Quatuor inest jubilus,
Quem dedit verus dominus,
Cui honor per saecula
Et nostra firmet specula.

Brev. ms. Servorum BMV. Venet. anni 1473. Cod. Oxonien. Douce 314. A. — Brev. Humiliatorum imp. Mediolani 1483. B.

97. De Visitatione BMV.

Ad Laudes.

1. Lumen solis irradiat
Et nox superne excitat,
Ut ad praemissa spicula
Mentis bibamus pocula.

2. Solemne festum gerimus,
Quo jubilare possumus,
Et nos docent mysteria,
Quae ita facta cernimus.

3. Mentis leventur lumina,
Mentis calescant intima,
Et a superna gratia
Donentur nobis flumina,

4. Quae satiant interius
Fecundantque exterius;
Mariae venter fluminum
Vasque supernum luminum.

5. Praesenti festo funditur,
Sed non minus concluditur,
Cantavit nobis praevius
Praevisione spiritus

6. Magnificat medullitus,
Quod decantavit protinus
Christo beata filio,
Qui regnat sine termino.

Brev. ms. Servorum BMV. Venet. anni 1473. Cod. Oxonien. Douce 314. A. — Brev. Humiliatorum imp. Mediolani 1483. B. — 1, 3 specula AB. — 3, 3 Et ad superna B. — 4, 3 Maria AB; venter B; fluvium B.

98. De Compassione BMV.

Ad Vesp. et Noct.

1. Christe, salvator unice,
Carnem sumens de virgine,
Ut solveres a crimine
Mundum sacrato sanguine.

2. Amore virgo tenera
Conversa stat ad filium,
Mortis poenas, supplicia
Considerat et vulnerum.

3. Innocentiae conscia
De morte dolet filii,
Redemptionis credula
Salute gaudet proximi.

4. Stat juxta crucem inclita
Videns poenarum genera,
Plorat, trahit suspiria,
Cancellat manus anxia.

5. Amor incomparabilis
Poenam doloris aggravat,
Merces remediabilis
Languorem mentis temperat.

6. Maria clemens, adjuva
Compatientes filio,
Culpa jacentes subleva
Gementes in exsilio.

7. Virginis unigenito,
Qui nos redemit sanguine,
Patri sit et paraclito
Laus, honor omni tempore.

Brev. ms. Hildesiense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 180. A. — Brev. Goslariense imp. Halberstadii 1525. B.

99. De Compassione BMV.

Ad Laudes.

1. Hora noctis consurgite,
Dum Christus homo capitur,
Vota, voces erigite
Cum matre, quae compatitur.

2. Castae parentis viscera
Poena torquentur aspera,
Dum illum, quem conceperat
Verbo, perversi verberant.

3. In cruce dum extenditur,
Videns mater, quod moritur,
Nullus dolor amarior,
Nam nulla proles carior.

4. Penetrat matris viscera
Vox filii tam aspera,
Dum clamans tradit spiritum,
Mundum reformans perditum.

5. Crucifixo nos doceat
Benigna mater compati,
Ut os, lingua non taceat
Sed laude sonet perpeti.

6. Crucifixe, nos merito
Tuae matris custodias,
Solvas peccati debito,
Consortes regni facias.

Brev. ms. Hildesiense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 180.

100. De Compassione BMV.

Ad Completorium.

1. Multo lassati crimine
Pie rogamus, Domine,
Patri sacrorum vulnerum
Pro nobis offer poculum.

2. Tua placata gratia
Sanctorum orant agmina,
Si te offensum praevidet,
Coelestis ordo concitet.

3. Maria virgo, adspice,
Reorum preces suscipe,
Peccata jam praeterita
Remitti nobis impetra.

4. Spes vitae per te rediit,
Quam peccans Adam abstulit,
Nobiscum tuis precibus
Propitietur Dominus.

5. Ob tuum, virgo, gemitum
Exaudi voces supplicum,
Amari luctus copia
Vetentur nobis noxia.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui passus es pro homine,
Redemptus a supplicio
Novo datus sarcophago.

Brev. ms. Zutphaniense saec. 15. Cod. Bollandian. s. n. A. — Brev. Sleswicense imp. Sleswici 1512. B.

101. In Transfixione BMV.

Ad Vesperas.

1. Virginis alto
Turba fidelis
Canat infixum
Corde dolorem,
Quem tibi, mater,
Pressit acerba
Passio nati.

2. Tua transfixit
Viscera culter,
Cutis incisor
Pueri Christi,
Qui fuit omni
Crimine liber
Solus in aevo.

3. Quando futurum
Simeon justus
Cecinit nati
Flebile funus,
Tua divisit
Gladius illic
Intima cordis.

4. Valde fuisti
Pressa dolore,
Puerum quando
Moesta requiris
Inscia sortis
Triduo sacra
Urbe relictum.

5. Tacuit nomen
Dulce parentis
Dominus tradens
Famulo matrem,
Verba fuerunt
Nuntia tibi
Mortis amarae.

6. Gloria patri
Simul et proli,
Quem coaequalem
Spirat uterque,
Sit decus illi,
Qui deus unus
Cuncta gubernat.

Brev. Ordinis ss. Trinitatis imp. Valentiae 1519.

102. In Transfixione BMV.

Ad Nocturnum.

1. O virgo clementissima,
Adesto nostris precibus,
Devoti cujus hodie
Transfixionem colimus.

2. Cum natus ad supplicium
Crucem portat in humeris,
Moles illius ponderis
Tua premit praecordia.

3. Felle potatur horrido,
Aceto, myrrha filius,
Illam amaram speciem
Tuus gustavit spiritus.

4. Tuam transfixit animam
Illa crudelis lancea,
Qua Christi latus perforat
In cruce miles impius.

5. Dum inclinato capite
Patri commendat spiritum,
Ecclipsim vitae pateris
Orbata tanto lumine.

6. O personalis trinitas,
Substantialis unitas,
Da nos consortes effici
Transfixionis virginis.

Brev. Ordinis ss. Trinitatis imp. Valentiae 1519.

103. In Lamentatione BMV.

1. Lauda, mater ecclesia,
Lauda Christi clementiam,
Qui suae dignae virginis
Matris pellit tristitiam.

2. Maria, mater Domini,
Repleta jam moestitia
Cernensque poenas filii
In crucis vehementia.

3. Dolent materna viscera,
Condolent pontus, aethera,
Cernentes regem gloriae
In cruce contumeliae.

4. Ni sciret vitae medicum
Gentis ferre antidotum,
Ut a morbo multiplici
Poenis curetur medici,

5. Deficeret moestitia,
Sed rediit fiducia;
Ab ipsa fauce Tartari
Redire ad vitae limina

6. Surgentem cum victoria
Jesum credit ab inferis,
Cum luctu miscens gaudia,
Secreta noscens foederis.

7. Uni Deo sit gloria
Pro multiformi gratia,
Qui matris piae viscera
Confortat in tristitia.

Brev. ms. S. Mariae apud Ressam anni 1601. Cod. Berolinen. VIII°. 120. — 5, 2 Sed reddidit Hs.

104. De Compassione BMV.

Ad Vesperas.

1. Maria mater doluit,
Dum Simeon commonuit
Diro figendam gladio,
Te laudamus cum gaudio.

2. Aegyptum mater adiit
Natum secum suscipiens,
Judaeae sceptra timuit
Herodis iram fugiens.

3. Aetate Christi tenera
Jesum amisit querula,
Vera fudit suspiria
Corde materno saucia.

4. Damnatum morte filium,
Flagris collisum Dominum,
Caput spinis jam horridum
Flesti sub cruce torridum.

5. Cum dixit unigenitus:
Nunc ecce tuus filius,
Tunc consummatis omnibus
Redit ad patrem spiritus.

6. Plangenti tibi traditur
Jesus cruce depositus.
Transfixum cor ostenditur.
Tuis dum datur gremiis.

7. Sepulchro dum reconditur,
Mariae mens percellitur.
Fidelis plebs reficitur,
Dum planctu tuo roditur.

8. Salve, mater, spes unica
Hoc incolatus tempore,
Memento flentis filii
Damna nostri exsilii.

9. Te, summa Deus trinitas,
Te collaudamus, unitas,
Mariae per suspiria
Tu salva nos per saecula.

Brev. Ultrajectinum imp. Gudae 1508.

105. De Compassione BMV.

Ad Laudes.

1. Mariae pia viscera,
Septenis poenis lacera,
Regis, legis tu conscia
Fuge, luge consilia.

2. Veris quaeris gemitibus
Secta, tecta singultibus,
Jesum laesum, jam lividum
Signo, ligno fles subditum.

3. Cruci truci fles filium
Fixum, nixum, jam mortuum,
Sero vero in gremium
Captas aptasque rigidum.

4. Tetrae petrae includitur,
Cultus multus tribuitur,
Flentes mentes considera,
Igne digne nos libera.

5. Melos caelos exsuperet,
Gnato nato confederet,
Patri, matri sit gloria,
Dono bono victoria.

Brev. Ultrajectinum imp. Gudae 1508.

106. De Compassione BMV.

Ad Vesperas.

1. Mentes juvet fidelium
Dolores et suspirium
Matris Christi revolvere
Cum gratiarum munere.

2. Casta parentis viscera
Poena torquentur aspera,
Dum illum, quem genuerant,
Virgis perversi verberant.

3. Jesum ligant crudeliter,
Caedunt, cruentant acriter
Et ejus matris maximae
Sic augentur tristitiae.

4. Quae virgo Dei filium
Genuerat puerpera,
Stat gemens ad supplicium
Cernendo crucem misera.

5. Tantum sibi compatitur,
Quod fere secum moritur,
Nullus dolor amarior,
Nam nulla proles carior

6. Auxit dolores filii
Matris dolor et auctus est
Matris dolor opprobriis,
Quae cum poenis perpessus est.

7. Cuncti Mariae servuli,
Cultores verae fidei,
Jesum occisum colite
Et cum Maria plangite.

8. Sit honor, laus, devotio
Jesu, virginis filio,
Qui matris suae lacrimis
Vitam largiatur nobis.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Parisien. 1313. A. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. B. — 6, 4 cum fehlt B. — Ein kürzerer und sehr abweichender Hymnus, der mit diesem die Strophen 1, 2 und 5 gemeinsam hat, findet sich aus dem Brev. Strengnense (Holmiae 1495) bei Klemming, Piae Cantiones II, p. 184 sq. Vgl. auch Mone Nr. 439. in der Str. 2 und 3 dieses Liedes enthalten sind. Bei solchem Durcheinander ist es wohl nicht möglich, die ursprüngliche Form dieses wie der folgenden Hymnen festzustellen.

107. De Compassione BMV.

Ad Nocturnum.

1. O gloriosa Domina,
Cum Judaeorum agmina
Videres Christum ducere,
Cor tuum coepit tremere.

2. Alta ducens suspiria
Tu sequebaris anxia,
In fletibus exuberans,
Ad ipsum usque properans.

3. Pastorem dum percutiunt,
Dispersae oves fugiunt,
Tu vero cum discipulo
Appropinquas patibulo.

4. Fons vitae siti aruit,
Qui potum vitae tribuit,
Et fel pro favo redditur,
Dum de siti conqueritur.

5. Qui vere lympha triplici
Fletu, sudore, sanguine
Mundavit nos multiplici
Coinquinatos crimine.

6. O quam praedigni rivuli
In cruce Christi sanguinis
Et quos fuderunt oculi
Sub cruce matris virginis.

7. Sit honor, laus, devotio.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Parisien. 1313. A. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. B. — Brev. Fontebraldense imp. Parisiis 1514. C. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. D. — 2, 3 exsuperans D. — 3, 4 Appropinquans D. — 5, 1 O vere lympha C. — Nach Str. 4 schiebt C ein: Auxit dolores filii etc. vgl. die vorige Nr. Str. 6. — Nach Str. 6 schiebt D ein: Cuncti Mariae servuli etc., vgl. ebenda Str. 7.

108. De Compassione BMV.

Ad Laudes.

1. Condolentes moeroribus
Mariae matris virginis
Jungamus laudes fletibus
Ad laudem sui nominis.

2. Pensemus matris servuli
Spinas cordis acerrimas,
Dum vidit corpus filii
Poenas pati quam plurimas.

3. Sputa, flagella, lancea,
Mucro, corona spinea,
Clavi, probra, crux, verbera,
Fel, unda, mors et vulnera.

4. Haec vidit suo filio
Parari cum ludibrio,
Qui caritate venerat
Salvare, quod perierat.

5. Pensemus, quid perpenderet
Adstans cruci puerpera,
Dum testamentum conderet
Christus in vitae vespera.

6. Matrem piam discipulo,
Patri commendat spiritum,
Aceti sumpto poculo
Carnis exsolvit debitum.

7. Sit honor, laus, devotio.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Parisien. 1313. A. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. B. — Brev. Fontrebaldense imp. Parisiis 1514. C. — 3, 4 statt vulnera wieder verbera B. — Ein Lied gleichen Anfangs von 4 Strophen (aus unserem die Str. 1, 5 und 6) bietet Klemming l. c. p. 190 sq. aus dem gleichen Brevier. C, das neun Strophen zählt, vermischt mit diesem Teile des vorhergehenden Hymnus. Zwischen Str. 2 und 3 unseres schiebt es Str. 2 und 3 jenes Liedes ein. — 3, 1 Post haec et sputa, lancea C. — Nach Str. 4 folgt Str. 5 der vorhergehenden Nummer; Str. 5 fehlt und auf Str. 6 folgt als Schlufs:

Maria, lacrimis tuis
Fac nos lavare (sic) sordibus,
Ut post dies vitae brevis
Laetemur in coelestibus.

109. De Gaudiis BMV.

Ad Vesperas.

1. Gaude, mater ecclesia,
Devoto laudis cantico,
Pangamus septem gaudia
Ex more docti mystico.

2. A patre unigenitus
Matris fecundans uterum,
Praenuntiatus coelitus,
Conditor alme siderum.

3. Verbum supernum prodiens
De te nascendo, femina,
Vitam est mundo largiens,
O gloriosa domina.

4. Deus, tuorum militum
Sumis dona trifarie,
Sed fugas orbi deditum,
Hostis Herodes impie.

5. Jesu, nostra redemptio,
Tollis surgendo gemitus,
Ut grata sit devotio
Veni, creator spiritus.

6. A solus ortus cardine
Collaudetur Christifera,
Nobis dentur cum virgine
Aeterna Christi munera.

Brev. Narbonense imp. Carcassonae 1535. — 2, 1 A patris. — 3, 3 es mundo.

110. De Gaudiis BMV.

Ad Laudes.

1. Magnae dies laetitiae
Adest sacratae virginis,
Quam matris dat familiae
Consors paterni luminis.

2. Aurora lucis rutilat,
Veri solis praenuntia.
Matrique Dei jubilat
Aeterna coeli gloria.

3. Rerum creator optime,
Per matrem mundum visitas,
Nos a peccatis erue,
O lux, beata trinitas.

4. Impleta gaudent viscera
Nunc exsultantis populi
De virgine puerpera,
Jesu, salvator saeculi.

5. Exsultet coelum laudibus
In Mariae laetitia,
Cujus donentur precibus
Beata nobis gaudia.

Brev. Narbonense imp. Carcassonae 1535.

111. De Gaudiis BMV.

Ad Vesperas.

1. Exsultet coelum laudibus,
Resultet terra gaudiis
Pro tam laetis rumoribus,
Pro Gabrielis nuntiis.

2. Virgo per aurem concipit
Obumbrata altissimo
Fortem, qui mundum eripit
A tyranno durissimo.

3. Gaudet virgo salutata
Per cognatam Elisabeth,
Per quam est magnificata
Et gaudium matris habet.

4. Gaudet, cum Christus nascitur
Et pastores adveniunt,
Videntes, quod involvitur
Pannis, qui vix sufficiunt.

5. Tria magorum munera
Adorantium filium
Post tam longa itinera
Virginis augent gaudium.

6. Dum in templo praesentatur
Simeoni prophetanti,
Gaudium accumulatur
Matri Deum bajulanti.

7. Regressis de exsilio
Mortuis persequentibus
Fit gaudii occasio
In Nazareth manentibus.

8. Mater tristis pro perdito
Nato tandem gratulatur
Inter doctores cognito,
Ubi legem meditatur.

9. Dum convivae laetabantur
Aqua in vinum conversa,
Mariae jucundabantur
Viscera gaudio mersa.

10. Dum Christus turbam satiat
Et corruscat miraculis,
Quis hanc gaudere nesciat
Pro portentis tam patulis.

11. Gaudet mater, dum patitur
Vita pro triumpho mortis,
Dum resurgens revertitur
Victor et praedator fortis.

12. Quantum gaudet, dum ascendit
Scandens ad patris dexteram
Natus, qui nunquam offendit
Nec rem egit mortiferam.

13. Pro missione spiritus
In matrem et discipulos
Decet gaudere coelitus
Tam dominam quam servulos.

14. Gloria sit trinitati,
Quae assumpsit ad aethera
Matrem incontaminati
Regnantem super sidera.

Brev. Noviomense imp. Parisiis 1515.

112. De Gaudiis BMV.

Ad Laudes.

1. O gloriosa domina,
Cum facta es puerpera,
Qui coeli fecit culmina,
Tua subintrat viscera.

2. Cum gigas ex te nascitur
Intemerata virgine,
A cunctis benedicitur,
Gloria tibi, Domine.

3. Ad dextram patris residens
Compellit matrem gaudere
Post dolorosum accidens,
Quod habuit sustinere.

4. Prae angelis exaltata,
Innixa super dilectum,
Cum corpore suscitata
Gaudium habet perfectum.

5. Gloria unigenito,
Matri atque trinitati,
Danti virginis merito
Tot gaudia causa nati.

Brev. Noviomense imp. Parisiis 1515.

113. In Assumptione BMV.

1. Salve, matrum sublimitas
Cum virginali gloria,
Te praeelegit trinitas
Creans et regens omnia.

2. Salve, regina gloriae,
Honor coelestis curiae,
Quae salva pudicitia
Christum paris cum gloria.

3. Sicut matris et virginis
Est in te nupta unio,
Ita Dei et hominis
Mirabilis connexio.

4. Ibi scribunt praeconia
Gabrielis alloquia,
Partu cantus coelestium,
Virgo post puerperium.

5. Mater, virgo, puerpera,
Assumpta super sidera,
Amplexa Christi dextera,
Excusa nostra scelera.

6. Post cursum hujus stadii
Vitam perennis bravii
Nobis ut donet filius,
Tuus Jesus propitius.

7. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine etc.

Pros. et. hymn. ms. Marchianen. saec. 15. Cod. Duacen. 123. — 2, 4 parit Hs. — 3, 4 commercio.

114. In Recollectione festorum BMV.

Ad Vesperas.

1. Gaude, redempta plebsque coelicola,
Festa Mariae jubila voce,
Mente tripudia, cantica psalle.
2. Nube depulsa angelus nuntiat
Ortum aurorae, lucifer splendet,
Genitrix exsurgit datura solem.
3. Ad quam desuper archangelum mittit
Salus hominis, pergit ad anum
Puella gravida obsecutura.
4. Virgo pudica manibus attollit
Prolem ad aram, praemia coeli
Suprema recipit virgula fumi.
5. Gloriam trinae monadi canamus
Corde devoto, patri et nato
Nec non paraclito omne per aevum.

Brev. ms. Bethuniense saec. 16. Cod. Atrebaten. 884. A. — Brev. Cameracense imp. Parisiis 1497. B. — Brev. S. Gudilae imp. Parisiis 1516. C. — 4, 2 ad auram C.

115. In Recollectione festorum BMV.

Ad Laudes.

1. Nuntiat angelus virginis ortum,
Creduli parentes fiunt fecundi,
Mox Anna concipit, parit Mariam.
2. Mulier vetula sed nova mater,
Avia Domino jure naturae,
Hujus et filia mater intacta.
3. Humilis ancilla nuntio credit,
Tristi laetitiam tribuit mundo,
Vitae medicinam mortuis affert.
4. Exsultat spiritus, pergit ad alta,
Dominum inclusum miles adorat,
Ipsum patriarcham lumen illustrat.
5. Felices parentes vocis et verbi,
Dulcia oscula, dulces amplexus,
Gratia dulcior, gaudia pura.

6. Observat mandatum lege soluta,
Redemptorem mundi sistit in templo,
Simeon exsultans suscipit illum.

7. Filius honorat matrem in coelis
Et super angelos ipsam coronat,
Nobis precantibus propitietur.

8. Sit patri supremo, parili proli,
Sancto paraclito virtus et honor,
Ipse est Dominus trinus et unus.

Brev. ms. Bethuniense saec. 16. Cod. Atrebaten. 884. A. — Brev. Cameracense imp. Parisiis 1497. B. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. Parisiis 1516. C. — 4, 3 lumine C. — Ad Matutinum C.

III.

DE SANCTIS.

116. De sancto Achatio.

1. Martyrum dena milia,
Qui coelos per exsilia
Ascendistis ut lilia,
Ferte nobis auxilia.

2. Quos insanus Adrianus
Aliis cum sex regibus
Vult perire aut servire
Daemoniorum legibus.

3. Baptizati, confirmati
Spernunt Deos gentilium
Et parati magis pati
Sunt propter Dei filium.

4. Flagellantur, cruciantur
Et mactantur cum gladio.
Terrae motus totus notus
Fit, sol privatur radio.

5. In amara crucis ara
Erant in visu hominum,
Pro salute nostra tute
Sic exorabant Dominum:

6. Omni genti recolenti
Nostrae mortis supplicium
Da virtutem, da salutem
Cum praemio felicium.

7. Patri, nato laus beato
Sancto sit cum spiramine,
Deus fortis nostrae sortis
Sit tutor in examine.

Brev. ms. S. Martini Embricen. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 22. A. — Brev. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 7. B. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Treviren. 439. C. — Brev. Trevirense imp. Basileae 1502. D. — 2, 1 Quod insanus A. — 2, 3 perire et servire AB, et servire et subire C.

117. De sancto Adriano.

1. Jucunda terris gaudia
Reducit haec lux annua
Adriani clarissima
Repraesentans solemnia.

2. Qui spe coelestis patriae
Sacro repletus munere
Contra regem perfidiae
Pugnavit armatus fide.

3. Crudelis rex et impius
Promissis et terroribus,
Minis, tormentis gravibus
Urgebat negare Christum.

4. At Christi fortis athleta
Jussa recusans impia
Tormenta nimis aspera
Excepit patientia.

5. Vitae perennis avidus,
Sui cruoris prodigus,
Velox ad palmae praemium
Cucurrit per martyrium.

6. Tanti victor certaminis
Conscendit ad sedem Dei
Stola fulgens purpurea,
Victrici comptus laurea.

7. O coeli felix incola,
Adriane, nos adjuva
Te cordis affectu et voce
Nos obsecrantes respice.

8. Te pro nostris criminibus
Orantem audiat Deus,
De cujus habes munere,
Ut fiat, quod vis poscere.

9. Hoc det pater et filius
Paraclitusque spiritus,
Ut pro nostris piaculis
Sis semper exorabilis.

Diurn. ms. Gerardimontanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 8910. A. — Psalt. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracen. 34. B. — Brev. ms. S. Sepulchri Cameracen. saec. 15. Cod. Cameracen. 102. C. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bibl. Archiep. Remen. s. n. D. — Brev. Cameracense imp. Parisiis 1497. E. — 5, 3 palmae meritum E. — 6, 3 Stella fulgens E. — 8, 1 Ut pro nostris E. — Str. 1—5 ad Nocturn. 6—8 ad Laudes D, das Ganze ad Vesp. ABCE.

118. De sancta Agatha.

Ad Vesperas.

1. Corde vero jucundemur
Virginis in filio,
Recensito gratulemur
Virginis martyrio,
Laudis hymnum modulemur
Solemni tripudio.

2. Agatham Deo dicatam
Judex Affrodisiae
Mulieri commendatam,
Cui nomen filiae,
Hanc sibi per has temptantem
Subdi jubet impie.

3. Sed mens ejus solidata
Promissis non flectitur,
In Christo Jesu fundata
Minis non dejicitur,
Sicque virgo Deo grata
Carcere recluditur.

4. Post haec Deo venerari
Virgo sancta cogitur,
Sed hos illa detestari
Tota fide nititur,
In mamilla cruciari
Sic demum praecipitur.

5. Christus igitur nostrorum
Hujus prece sedula
Deprecemur peccatorum
Ut relaxet vincula
Nosque faciat sanctorum
Concives in saecula.

Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Archiv. Grandaven. 100.

119. De sancta Agatha.

Ad Laudes.

1. Agathes hinc ab humano
Seclusa solatio
Mox jubetur a profano,
Iniquo et impio
Consulari Quintiano
Affici jejunio.

2. Quam confortans consolatur
Christus per apostolum,
Luce coeli perlustratur
Carceris ergastulum,
Et mamilla reparatur
Per ejus oraculum.

3. Tandem fieri mandatur,
Virgo quo projicitur,
Ignis, sed mox superatur
Flammaque dividitur,
Et, a quibus inflammatur,
Super hos revertitur.

4. Sparsis testulis et igne
A ministris sceleris
Hinc pertrahitur indigne,
Intrat domum carceris,
Benedicit Deo digne,
Spiritum dat superis.

5. Ergo summae majestati
Jubilantes pariter
Hymnizemus trinitati
Psallentes alacriter
Hymnum laudis unitati
Nunc et aeternaliter.

Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Archiv. Gaudaven. 100.

120. De sancto Agilolpho.

1. O supreme tui rex Agilolphi
Nos reddas hilares festa colentes
Dans ejus meritis gaudia nobis.
2. Hic mundi pelagus te duce tutus
Armatum rapidis transiit undis
Vincens purpurea sanguinis unda.
3. Ad cujus tumulum dulce canorum
Voces angelicae personuere,
Fulsit multimodis gloria signis.
4. Ora pro famulis tibi devotis
Et coram judice veniam posce,
Ne nos judicio damnet extremo.
5. Trinitati decus, honor et virtus,
Inseparabili laus unitati,
Consors imperium omne per aevum.

Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1477. Cod. Semin. Colonien. 5. A. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1477. Cod. Semin. Colonien. 5a. B. Psalt. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1542. Cod. Semin. Colonien. 52. C. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15. Cod. S. Georgii Colonien. s. n. D.

121. De sancta Agnete.

1. Agnes, virtutum cellula,
Placens Deo puellula,
Flagrat amore Domini
Nec nubere vult homini.
2. Quae proco cum muneribus
Contempto, dum nil agitur,
Inducta lupanaribus
Capillis nuda tegitur.
3. Per angelum cum lumine
Munitur Dei famula,
Quod pavefacta numine
Juventa cedit tremula.
4. Hinc martyr Agna ducitur
Et ignibus injicitur,
Quibus non usta gladio
De mundi migrat stadio.

5. Mox virginum cum coetibus
Agnum secuta niveum
Suos arcet a fletibus
Et incitat ad gaudium.

6. Sit Deo patri gloria,
Sit nato, sit paraclito
Agnetis pro victoria
In sempiterna saecula.

Antiph. ms. Aquisgranense saec. 13. Cod. Capit. Aquisgranen. s. n. add. saec. 14. in. A. — Grad. ms. Aquisgranense saec. 13. Cod. Arenbergen. 9. add. saec. 14. B. — Brev. Trajectense imp. Coloniae 1517. C. — 5, 1 Mox virgo cum C.

122. De sancta Agnete.

1. Felix adest solemnitas.
Felici sub martyrio
Agnetis qua virginitas
Coeli sacratur solio.

2. Exsuperat Paschasium
Resuscitato funere,
Lupanar fit sacrarium
Ejus pro sancto munere.

3. Coelorum tandem hostia
Decore transit niveo
Agnes, martyr egregia,
Sanctorum sita cuneo.

4. Jesu, corona virginum,
Donator ultra merita,
Per Agnetis martyria
Dimitte nobis debita.

5. Trino Deo sit gloria,
Patri, prolique flamini
Qui mala solvens omnia
Jungat Agnetis agmini.

Brev. ms. Praedicat. Italic. saec. 14. Cod. Londinen. Add. 17007.

123. De sancta Agnete.

1. Agnes ecce progreditur
Agnoque sponso jungitur.
Cujus ingressa thalamum
Nardi profudit balsamum.

2. Agnetis ergo laudibus
Corde simul et vocibus
Insistamus alacriter
Concinentes solemniter.

3. Agneti cantant virgines
Ac innocentum ordines
Per castitatis lilium
Agnum sequentes praevium.

4. Agnetem color roseus
Exornat, dum sanguineus
In guttur ensis stringitur,
Pro morte vita redditur.

5. Agnes pia, nunc jubilas
In gaudio, quo rutilas,
Rosa simul ac lilio
Dei conjuncta filio.

6. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

Psalt. ms. S. Agnetis Treviren. saec. 15. Cod. Treviren. 430.

124. De sancto Albano.

1. Aeterne rector omnium,
Spes vitaque fidelium,
Audi canentes parvulos
Laudes Albani martyris.

2. Hymnis sacri pugnas viri,
Labores et insignia
Resultat haec celebritas
Hic cum caterva cernua.

3. Hic namque cosmi prospera
Praesentis ecce gaudia
Caenosa justus approbans
Cepit polorum gaudia.

4. Poenas crucis qui pertulit
Et damna mortis sustulit,
Vitam rubro cum sanguine
Fundens adit coelestia.

5. Tuam, Albane, nos servuli
Per passionem poscimus,
Ut nostra semper crimina
Solvas precum juvamine.

6. Audi benigne supplices,
Fundas preces et perpetes,
Rector poli quo porrigat,
Quod quisque nostrum postulat.

7. Clemens prece reposcimus,
Rex Christe nunc piissime,
Ut hoc triumpho martyris
Culpae naevos solvas dulis.

8. Sit trinitati gloria.
Virtus, honor, victoria,
Laus, splendor et potentia
Per saeculorum saecula.

R° Rerum benigne rector omne per aevum,
Clemens tuere nos hic et perenniter.

Trop. ms. Sedunense anni fere 970. Cod. Londinen. 19768. — Die Aufschrift: Versus sancti Albani, der nach jeder Strophe wiederkehrende Rundreim, sowie die Stellung im Troparium kennzeichnen den Prozessionshymnus. — 3, 4 Coepit Hs. — 7, 4 dulis (δουλοῖς).

125. De sancto Albino.

Ad Vesperas.

1. Deus, sacrator corporum
Clarusque nitor mentium,
Fac nos piato pectore
Laudes tuas depromere.

2. Fac candidatos moribus
Tibi, pater, placentibus
Hujus diei celebri
Festivitate perfrui.

3. Quam decoravit transitu,
Auctus supernis coetibus,
Albinus, almus pontifex,
Sancta decens albedine.

4. Hic praesidens ecclesiae
Tuo benigno munere
Andegavinis civibus
Fuit patronus inclitus.

5. Sermone, signis, actibus
Praebens iter sequacibus,
Quo tenderent ad coelicam
Se praeviante patriam.

6. Cujus conceptus manibus
Inter beatos spiritus
Nunc gaudet et jugem tuae
Decantat hymnum gloriae.

7. Deo patri et filio
Cum spiritu paraclito
Aeterna laus et gloria
Immensa sit per saecula.

Brev. S. Albini Andegavensis imp. Andegavi 1531.

126. De sancto Albino.

Ad Laudes.

1. Albine, doctor optime,
Tuos alumnos respice
Et supplici precamine
Peccata plebis dilue.

2. Cui constitutus gratia
Summi patris familias
Prudens minister strenua
Es functus oeconomia.

3. Ut vita praesens exstitit
Agon laborque pervigil,
Cum duplicato foenore
Dei talenta spargere:

4. Sic jam beatus maximo
Fidelitatis praemio,
Ingressus es cum gaudia
Feliciter perennia.

5. Pio tibi suffragio
Nos junge culpis liberos,
Ut filiorum sanctitas
Patris perornet gloriam.

6. Deo patri et filio
Cum spiritu paraclito
Aeterna laus et gloria
Immensa sit per saecula.

Brev. ms. S. Albini Adegavensis saec. 15. ex. Cod. Andegaven. 108. A. — Brev. S. Albini imp. Andegavi 1531. B.

127. In Translatione s. Albini.

Ad Vesperas.

1. Sancte sanctorum, Deus, hanc catervam
Visita clemens tibi congregatam,
Patris Albini meritis dicata
Festa colentem.

2. Qui fuit morum speculum bonorum,
Cujus exemplis cluit omnis orbis
Luce diffusa bonitatis ejus
Irradiatus.

3. Andegavorum pater atque praesul
Factus adjunxit decori nitorem,
Gratia nomen, meritis honorem
Condecorando.

4. Nunc beatorum comes angelorum
Gaudet in coelis sine fine felix,
Perpeti festo fruitur vacatque
Jugibus hymnis.

5. Hujus ut prece nobis largiaris
Sobriam vitam, humilem, pudicam
Pace florentem, pietate dulcem,
Christe, precamur.

6. Laus, salus, virtus, honor et potestas,
Trinitas simplex, tibi sit perennis,
Atque nobiscum tua sit per omne
Gratia saeclum.

Brev. ms. S. Albini Andegavensis saec. 15. ex. Cod. Andegaven. 108. A. — Brev. S. Albini imp. Andegavi 1531. B.

128. De sancta Aldegunde.

Ad Vesperas.

1. Plebs catholica, laetare
In Aldegundis orgio,
Quae, quantum sit stirpis clarae,
Satis claret Melbodio.

2. Haec in aetate tenera
Coelestem sponsum sitiens,
Plus adversa quam prospera
More justorum cupiens.

3. Coelesti desiderio
Fervens fugam arripuit,
Sambram sicco vestigio
Transire laeta meruit.

4. Dum praesules almificae
Peplum dicabant incliti,
Hoc columba mirifice
Ejus imponit capiti.

5. Haec orationis causa
Templum adire studuit
Sororque, sed porta clausa
Harum fide clam patuit.

6. O virgo devotissima,
Choris conjuncta virginum,
Tua prece sanctissima
Nobis placato Dominum.

7. Deo patri sit gloria
Spirituique filio,
Qui det cum sanctis praemia
Nobis in coeli gaudio.

Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. — 5, 4 fides. — 7, 2 et filio.

129. De sancta Aldegunde.

Ad Nocturnum.

1. Eructat vix verbum bonum
Cor loquentis humanitus,
Ergo, septiforme donum,
Veni, creator spiritus.

2. Melbodenses jure plaudant,
Solemnitati consonat,
Dum filiae matrem laudant,
Vox clara, ecce, intonat.

3. In excelsis de profundis
Translata cum virginibus
Primo vacat Aldegundis,
Coelum exsultet laudibus.

4. Exemplar poenitentium
Carnis calcato vitio
Te potitur in praemium,
Jesu, nostra redemptio.

5. In conflictu mundi fortes
Esse per ejus meritum
Mereamur et consortes,
Deus, tuorum militum.

6. Ut post mundi dispendium
Insultus atque taedia
Succedant in stipendium
Beata nobis gaudia.

7. Patri, nato, spiritui
Decus, honor, imperium
Nunc et semper, sicut fuit
Primo dierum omnium.

Brev. ms. S. Aldegundis Malbodien. saec. 14. Cod. Cameracen. 129. A. — Brev. ms. S. Aldegundis saec. 15. Cod. Cameracen. 95. B. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. C.

130. De sancta Aldegunde.

Ad Laudes.

1. Jubilemus Christo soli,
Quem jam in patris dextera,
Aldegundem scimus coli,
Quem terra, pontus, aethera.

2. Dum mnas quondam multiplicat
Ducens vitam spiritalem,
Te sibi jure vendicat,
Urbs beata Hierusalem.

3. Peplum revexit spiritus
In columbina specie
A te transmissus coelitus,
Magnae Deus potentiae.

4. Probant aqua, vinum, ignis,
Multiforme miraculum,
Quantis adhuc fulget signis,
Agnoscat omne saeculum.

5. Ob hoc per ejus merita
Promulgata divinitus
Peccati laxa debita
Nunc sancte nobis spiritus.

6. Suspirantes ad gloriam,
Jam caritate fervidi,
Invitemur per gratiam
Ad coenam agni providi.

7. Patri, nato, spiritui.

Brev. ms. S. Aldegundis saec. 14. Cod. Cameracen. 129. A. — Brev. ms. S. Aldegundis saec. 15. Cod. Cameracen. 95. B. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. C. — 1, 2 Qui jam B. — 1, 3 Aldegunde A; Aldegundis B. — 2, 1 Divinas qui quondam multiplicat B. — 2, 3 Se sibi A; jure benedicat B. — 3, 1 Populum revexit B, revixit C.

131. De sancta Amalberga.

Ad Vesperas.

1. Agnum sponsum virgineum
Rogemus unanimes,
Ut nostra roret pectora
Superno spiramine
In explicandis laudibus
Amalbergae virginis.

2. A magnis traxit regibus
Venam clari sanguinis,
Sed clariorem reddidit
Virtutum insignibus,
Quod claret in miraculo
Restituti brachii.

3. Phalanx fugatur daemonum
ad occursum virginis,
Piscis in sicco palpitat,
hoc ingens miraculum,
Rorante mundo pluvia
sudum sedat aeris.

4. Hinc contemptis sponsalibus
Caroli clarissimi
Ipsius ob tyrannidem
passa est martyrium,
Quam Christus, sponsus virginum,
fovens sanat sauciam.

5. Aegros saluti reddidit
vocis medicamine,
Nam caecus ad lumen redit,
claudus jam rectus salit,
Largam medelam sentiunt,
qui salute indigent.

6. Multis claram virtutibus
coeli cives visitant,
Ut Deo cara tilia
poli petat gaudia,
Quo nos tecum fac scandere,
virgo felicissima.

7. Gloria et honor Deo.

Brev. ms. Blandiniense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 29253. — 3, 6 sudo sedet Hs., l. cedit? — 4, 6 sanavit Hs.

132. De sancta Amalberga.

Ad Nocturnum.

1. Claris psallendo vocibus
Hymnum canamus Domino
In Amalbergae beatae
Gaudentes solemnitate.

2. Regio alta pabulo,
Nobili lacte potata,
Pullulans in infantia
Sanctitate gloriosa.

3. Dilecta mundali regi,
Plus polorum cara regi,
Unde vivens feliciter
Triumphat in coelo semper.

4. O benigna Amalberga,
Audire nostros dignare
In tuo melos honore
Ac pro nobis intercede.

5. Juncta choris angelicis
Nostris miserere culpis,
Jugi prece nos conserva
Ac te colentes adjuva.

6. Gloriam patri psallamus
Ejusque soli filio
Atque spiritui sancto
Nunc et omne per saeculum.

Brev. ms. Blandiniense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 29253.

133. De sancto Andrea.

Ad Vesperas.

1. Summi regis potentia
Cuncta disponens saecula
Divina spargit munera
Credentium per pectora.

2. Quem postulemus supplices,
Ut nos visitet desides,
Quo simus apti capere
Donum supernae gratiae.

3. Cujus nitoris schemate
Ornati decentissime
Laudes promamus inclitas
Andreae sancto debitas.

4. Qui per crucis patibulum
Pervenit ad aethereum
Excelsi throni thalamum
Sanctorum consors civium.

5. Andrea, Christi famule,
Nostros clamores suscipe
Et tuis sacris precibus
Munda nos culpis omnibus.

6. Ut luce spiritalium
Resplendentes charismatum
In corde simus sobrii,
In carne semper liberi.

7. Tuoque nos precamine
Fac summa coeli scandere,
Quo valeamus cernere
Jesum benignum sedule.

8. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Tutelense saec. 11/12. Cod. Parisien. 1256. A. — Brev. ms. Lingonense saec. 12. Cod. Trecen. 807. B. — Brev. ms. Majoris monasterii saec. 13. Cod. Turonen. 153. C. — Brev. ms. Cellense saec. 14. Cod. Trecen. 1975. D. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. E. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. F. — Brev. ms. S. Florentii saec. 15. Cod. Bruxellen. 5155. G. — Brev. ms. S. Florentii saec. 15. Cod. Salmurien. 245. H. — Brev. ms. SS. Cosmae et Damiani saec. 15. Cod. Turonen. 152. I. — Brev. ms. S. Michaelis Burdigalen. saec. 15. Cod. Burdigalen. 86. K. — Brev. ms. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n. L. — Brev. ms. S. Martini Turonen. saec. 15. Cod. Turonen. 150. M. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisien. 1273. N. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII° 24. O. — Brev. Majoris Monasterii imp. Turonibus 1535. P. — Brev. S. Albini Andegaven. imp. Andegavi 1531. Q. — Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. R. — 1, 1 regi N; clementia R. — 1, 4 in pectora NO.

134. De sancta Anna.

1. Festum nunc celebre, genitrix hodie
Mariae virginis jungitur superis,
Exsultant angeli, laudant archangeli,
Sanctorum chorus jubilat.

2. Tendit ad patriam, tendit ad gloriam,
Intrat in gaudium, percipit praemium,
Dantur deliciae, dantur divitiae,
Cum Christo regnat, imperat.

3. Mater amabilis, mater laudabilis,
Prece sollicita pro nobis flagita,
Mariae filio commenda pretio
Redemptos ejus sanguine.

4. A culpis abluat, virtutes tribuat,
Hosti resistere det, pie vivere,
Transitum muniat, coelos aperiat
Ad laudem sui nominis.

5. Praesta hoc genitor, optime maxime,
Hoc tu, nate Dei et bone spiritus,
Regnans perpetuo, fulgida trinitas,
Per cuncta pie saecula.

Antiph. ms. S. Johannis Colonien. s. n. saec. 16. — 1, 2 supernis. — 3, 1 Pater amabilis. — 3, 4 Demptos in sanguine.

135. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Exsultet coeli curia
Et mundana ecclesia
Magna gerendo gaudia
Propter Annae solemnia.

2. Haec est illa sterilitas,
Quae est nobis fecunditas,
Nam peperit haec Mariam,
Matrem Christi et filiam.

3. Haec sumuntur avidius,
Et delectantur potius,
Quae naturae contraria
Dantur divina gratia.

4. Sic ergo diu sterilis
Anna fuit et humilis
Et passa est opprobria,
Quae abstulit haec filia.

5. Hujus fama dilatatur,
Quia in hac generatur
Orbis totius conditor
Et ipsius dispositor.

6. Nam Gabriel archangelus,
Ille summus paranymphus,
Ad Mariam properavit,
Cui talia nuntiavit:

7. Gaude, puella regia
De sobole Davidica,
Ex te nascetur filius,
Coeli terraeque Dominus.

8. Laus et honor sit aeterno
Patri ejusque filio
Sanctoque simul flamini
In omni vita saeculi.

Brev. ms. Jotrense saec. 13. Cod. Parisien. 750.

136. De sancta Anna.

Ad Matutinum.

1. Anna, noli flere
De sterilitate,
Namque Deus miram
Dabit tibi prolem.

2. Honos famae cujus
Ibit per loginquas
Mundi regiones
Magnus et mirandus.

3. Et hoc erit signo
Tibi, quod ascendens
Hierusalem tuum
Invenies virum

4. Juxta illam portam
Salomonis templi,
Quae aurea dicta est,
Quod sit deaurata.

5. Ambo ergo laeti
Intrabitis templum
Vero Deo grata
Dantes libamina.

6. Honor et potestas
Sit Domino Jesu
Aeternoque patri
Et sancto flamini.

Brev. ms. Jotrense saec. 13. Cod. Parisien. 750. — 2, 1 Honus famae.

137. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. In festo Annae gaudeat
Et ad gaudendum coeat
Omnis turma fidelium
In Christo exsultantium.

2. Ancilla illam provocat,
Sed ipsa Deum invocat
Precibus et jejuniis
In locis solitariis.

3. Cur ego, inquit flebilis,
Expers fructus et sterilis,
Cum brutis animalibus
Fit copia in foetibus.

4. Cum haec vel his similia
Dixisset plena gratia,
De coelo venit sonitus
Consolans illam coelitus.

5. In utero concipies
Quandamque natam paries,
Per saecla erunt omnia
Per illam mundo gaudia.

6. Gloria detur usiae,
Cujus est totum gratiae,
Quidquid hic fit humanitus
Vel in coelo divinitus.

Brev. ms. Jotrense saec. 13. Cod. Parisien. 750. — 3, 1 Cur ergo inquit Hs.

138. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. Coelesti cum tripudio
Ecclesiae nunc concio
In laudibus evigilet
Oransque Deo jubilet.

2. Aurorae namque regiae
Conceptus floret hodie,
De qua processit oriens
Occasum prorsus nesciens.

3. Hoc enim coeli cometa
Clarent sol, luna, sidera,
Cujus matris exordium
Dat salutis initium.

4. Cujus sacratis precibus
Hunc diem celebrantibus
Perennis sit salvatio,
Quam mundo fert in filio.

5. Gloria tibi, Domine,
Qui natus de in virgine etc.

Brev. ms. Aquicinctense saec. 15. Cod. Duacen. 152. A. — Brev. ms. S. Sepulchri Cameracen. saec. 15. Cod. Cameracen. 102. B. — 3, 1 Fac enim coeli B. —

139. De sancto Annoberto.

1. Exsultet jam fidelium
Devota plebs adstantium
Laudes Christo canentium
Per patris hujus meritum.

2. Ave, pater sanctissime,
Salve, pater dignissime,
Gregemque tuum protege
Ab hostili certamine.

3. Audi voces clamantium
Et te, praesul, rogantium
Precesque, Annoberte, suscipe
Et, quae precamur, annue.

4. Oramus, Deus omnium,
Assume preces per Annorbertum
Orantes te per filium
Conregnantem per saecula.

Brev. ms. Vallis Maurianae saec. 12/13. Cod. Carlopolitan. 14. — 3, 3 und 4, 2 sind durch das Einschieben sei es des Namens Annobertus oder aber des Wortes preces versmafslich verderbt. Letzteres kann in der That getilgt werden, ohne dafs dem Sinne zu nahe getreten würde.

140. De sancto Annone.

1. Audi, salus rerum, Deus,
Audi tuos, factor pius,
Anno quibus dat gaudia
Celsa potitus gloria.

2. Qui flore cuncto splendidus
Est sacra sede praeditus,
Quo pollet urbs Colonia
Tali viro plus inclita.

3. Mox, ordo quod poscit sacer,
Fit nunc magister, nunc pater.
Sed largus erga pauperes
Coelis suas offert opes.

4. Hunc ignis almus visitans,
Missas sacras intermicans,
Sancto repletum pneumate
Hoc indicabat lumine.

5. Vere beatus pontifex,
Qui coelicorum particeps
Coelos apertos corporis
Cordisque vidit visibus.

6. Te nunc precemur supplices,
Nostri misertus da preces,
Ut absoluti noxiis
Reddamur apti praemiis.

7. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1477. Cod. Semin. Colonien. 5. A. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1477. Cod. Semin. Colonien. 5a. B. — Psalt. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1542. Cod. Semin. Colonien. 52. C. — Mel.: Jesu salvator saeculi, kölnische Singweise.

141. De sancto Ansberto.

1. O pastor pie et clare,
Nobis benigne succurre
Nosque supplices respice,
Vota servorum suscipe.

2. Sursum erectis cordibus,
Versis in terram vultibus
In trinitatis nomine
Te adoramus, Kyrie.

Brev. ms. Blandiniense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 29253.

142. De sancto Arnulpho.

1. Proles nobilium celsa parentum,
Magnorum genitor sancteque regum,
Terram nobilitans carne creatis,
Coelos laetificans fonte renatis.

2. Nos, Arnulphe, damus hic tibi laudes,
Tu praebe placidas, poscimus, aures,
Fac Christo placeant haec pia vota,
Ne nobis noceant crimina nostra.

3. Tu bellis celebris, clare triumphis
Metensisque pius pastor ovilis,
Tu cultor eremi, spretor et orbis,
Devictor zabuli, coelicá scandis.

4. Jam nunc angelicis juncte choreis,
Cum Christi reficit visio dulcis,
Nos strictis scelerum respice vinclis
Et solvi variis posce periclis.

5. Virtus lausque Deo sit genitori,
Nato, paraclito gloria consors,
Arnulphi meritis tempora pacis
Dentur postque suis gaudia coeli.

Brev. ms. S. Arnulphi Metensis saec. 14. in. Cod. Meten. 45. A. — Brev. ms. S. Arnulphi anni 1327. Cod. Meten. 46. B. — Brev. ms. S. Arnulphi anni 1332. Cod. Meten. 333. C. — Brev. ms. S. Arnulphi saec. 14. Cod. Meten. 337. D.

143. De s. Arnulpho Villariensi.

Ad Vesp. Noct. et Laud.

1. Gaude, mater ecclesia,
Pro Arnulphi praesentia,
Cujus sacra solemnia
Celebrentur cum gloria.

2. Qui in Bruxella genitus
Fertur de mediocribus
Fuisse et fidelibus
Ac honestis parentibus.

3. Hic in juventutis flore
Perfusus coelesti rore
Declinavit ab errore
Mundi pro Dei amore.

4. In vicesimo secundo
Hic aetatis suae anno
Junctus fratrum collegio
Fuit Villari optimo.

5. In suae conversionis
Anno primo dirissimis
Ligavit se tirunculus
Christi tribus funiculis.

6. Corpus suum pro Domino,
Crura pedesque satino
Domavit cum cilicio
Continue asperrimo.

7. Percussitque cum ferula
Carnem suam dirissima,
Ad quam erat conglobata
Ericii pellicula.

8. Rusco quoque se et virgis
Magnis caedebat ictibus
Et volutavit in spinis
Semet ipsum cum urticis.

9. Catenis etiam tribus
Cinxit carnem sub vestibus
Loricaque sub pellibus
Ericiorum erat usus.

10. Nunc ergo sit altissimus
Deus ac benignissimus
In sui servi actibus
Per omnia benedictus.

11. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Nobisque donet filius
Gratiam sancti spiritus.

Officia ms. Villariensia saec. 13. Cod. Bruxellen. s. n. Verfasser dieses und der folgenden beiden Hymnen ist Goswin von Bossut. Vgl. Hist. Lit. de la France XVIII p. 68 sq. — Nach Str. 5. Divisio.

144. De s. Arnulpho Villariensi.

Ad Tertiam.

1. Exsultemus in Domino
Deo nostro cum jubilo,
Qui Arnulphum cum gaudio
Conjunxit coeli solio.

2. In quo haec est festivitas
Sine fine hilaritas,
Sine labe aeternitas,
Sine nube serenitas.

3. Sed fide non attingitur,
Sic nec spe comprehenditur,
Caritate non capitur,
Cuncta vota transgreditur.

4. Hic Arnulphus amabilis
Erat valde et humilis,
Nunc ergo fit laudabilis
Dei suisque servulis.

5. Sit laus, honor et gloria
Pro Arnulphi memoria
Deo patri et filio
Cum spiritu paraclito.

Officia ms. Villariensia saec. 13. Cod. Bruxellen. s. n. — Verfasser ist Goswin von Bossut.

145. De s. Arnulpho Villariensi.

Ad Completorium.

1. Arnulpho congratulemur
Et in Domino laetemur
Ipsumque nunc deprecemur,
Ut cum eo gloriemur.

2. In coelis, ubi exsultat
Arnulphus atque jubilat
In Domino, quem amabat
Et multum desiderabat.

3. In coelis Christus aderit
Cibus, ne quis esuriat,
Et potus, ne quis sitiat,
Vita, ne senecta solvat.

4. Nullus morbus intrinsecus,
Nullus metus extrinsecus
Est ibi, nec potest aestus
Introire neque frigus.

5. Laus Deo patri domino
Simulque sit et filio
Et spiritu paraclito
Semper et sine termino.

Officia ms. Villariensia saec. 13. Cod. Bruxellen. s. n. — Verfasser ist Goswin von Bossut.

146. De sancto Augustino.

Ad Vesperas.

1. Celebre festum sancti Augustini,
Doctoris Christi, veneremur cuncti
Mente devota, pietate tota,
Sorde remota.

2. Corde qui purus, pravitati durus,
Petiit Christum mente tenens ipsum,
Fulget in coelis, simul et in terris
Pollet honore.

3. Cujus ad templum meritis excelsum
Currunt absentes munera ferentes,
Properant gentes simul et egentes
Dona petentes.

4. Sprevit honorem simul et decorem,
Fugit favorem, mundi quoque morem,
Lumbis accinctus, in amore strictus
Christicolarum.

5. Meritis cujus angeli laetantur,
Gaudent et sancti, justi gratulantur,
Turbae fideles ipsum venerantur
Atque precantur.

6. Nos quoque Christum, ejus et ministrum
Semper laudemus atque rogitemus,
Ore cantemus atque jubilemus
Cantica laudis.

7. Gloria Deo sit aeterno patri,
Ejus et nato flaminique sancto
Per saecla cuncta sine fine regnans
Nunc et in aevum.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 39. A. — Brev. Nemacense imp. s. l. 1499. B. — 3, 4 patentes B. — 4, 3 strictis B. — 6, 1 cujus es ministrum B. — 7, 3 saecula B. — 7, 4 et in aeternum B.

147. De sancto Augustino.

Ad Laudes.

1. Gaudeat omnis turba populorum,
Unde et gaudet chorus angelorum;
Unde laetantur agmina sanctorum,
Nos jubilemus.

2. Hunc diem sacrum, summa laude dignum,
Mente devota cuncti venerantes
Et recolamus Dominum laudantes
Nunc et in aevum.

3. In quo electus Domini dilectus,
Christi confessor, pius intercessor,
Est elevatus et ad summa latus
Regna polorum.

4. Hujus obtentu vitia remitte,
Vincula nostra pietate solve,
Pelle languores, morbos et dolores,
Dilue sordes.

5. Qui multa mira pietate tua
Nobis ostendit pia prece sua,
Quae operaris, unde et laudaris,
Christe benigne.

6. Te, Augustine, populi precantur
Teque conlaudant atque venerantur,
Ut tua prece vincula solvantur
Mentis amentis.

7. O venerande doctor Augustine,
Vota tuorum audi famulorum,
Ut microcosmis climata per orbis
Precibus adsis.

8. Gloriam patri semper referamus,
Gloriam nato pneumatique sancto,
Cujus amore flagrat in ardore
Plebs tua semper.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 39. A. — Brev. Nemacense imp. s. l. 1499. B. — 1, 1 Gaudet AB. — 1, 2 Unde gaudet A. — 5, 1 Quod multa B.

148. In Translatione s. Augustini.

Ad Vesp. et Noct.

1. Augustinus, norma legis,
gaudet super aethera,
Cujus corpus sublimatur
superfuso numine.
Dum locandus in Papiam
fertur de Sardinia.

2. Occupabant infideles
barbari Sardiniam,
Feritate delibati
trucidarunt accolas,
Dissipantes sacra loca
templaque deifica

3. Cum audisset Liuprandus
sacrum corpus obrui,
Volens templum redimire
procuravit cinerem,
Quos fideles aestimabant,
delegavit nuntios.

4. Autumabat rex devotus,
Ticinense delubrum
Hujus patris prae virtute,
stantis in triclinio,
Orbi cuncto resonare
summae lucis radio.

5. Delegati sulcaverunt
iter in Sardiniam
Et ementes sacrum corpus
in severis barbaris
Nuntiando Luitprando
detulerunt Januam.

6. Et disserto Luitprando
pervenisse Januam,
Convocavit festinanter
Ticinensem populum,
Agens odas in excelsis
obviavit corpori.

7. Sumens illud reverenter
extollebat laudibus,
Simul omnes applauserunt,
ferunt in Ticinium,
Redimitus altis signis
instat coelo aureo.

8. Genitori genitoque,
flamini lucifero,
Creatrici trinitati
supplicando petimus,
Nos sublimans in superna
jungat coeli civibus.

Brev. ms. Ticinense saec. 13. (Privatbesitz.)

149. In Translatione s. Augustini.

Ad Laudes.

1. Coelestis panis Africus
Mundum pascens famelicum,
Augustinus almificus,
Fructum doctrinae suscipit.

2. Trinum Deum defenderat
Hausto doctrinae spiculo,
Haereticorum foedere
Nunc ipsum pressum sublevat.

3. Deprimebat haereticos
Haereticorum malleus,
Ferales nunc haeretici
Ipsum ubique deprimunt.

4. Subjugat in Hipponia
Foedantes, in Sardinia
Id speculum seraphicum
Cuncta divina protegens.

5. Transfertur in Ticinium
Pressum corpus a barbaris,
Ut renitescat pluribus
Signis, altis miraculis.

6. Regi regum et Domino
Pro servulis humilibus
Nos supplicando petimus
Assumat in coelestibus.

Brev. ms. Ticinense saec. 13. (Privatbesitz.) — 4, 2 Sardiniam. — 6, 1 Regi regum domino. — 6, 2 Pro severis humilibus.

150. De sancta Austreberta.

1. Solemni jubilo virginis annua
Supplex concelebret concio gaudia,
Quae carnis hodie nexibus libera
Cum sanctis scandit sidera.

2. Austreberta Dei praedita gratia,
Mundi despiciens celsa palatia,
Stravit sub pedibus fortiter omnia
Quaerens sola perennia.

3. Terreno fugiens conjugi nubere
Sponso sidereo nupsit in aethere,
Cui cum virgineis obvia coetibus
Sacris concrepat laudibus.

4. Hujus nos meritis rex Deus audiat,
Hujus praesidium gens sua sentiat,
Hujus quotidie sacra precamina
Tergant nostra peccamina.

5. Sit patri ingenito cunctipotentia,
Sit ejus genito magnificentia
Amborumque sacro gloria flamini,
Laus omnis trium numini.

Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518.

151. De sancto Autberto.

1. Autberte, praesul inclite,
Christi athleta splendide,
Adesto nostris precibus,
Quas tibi pie fundimus.

2. O gloriose pontifex,
Nostrae salutis opifex,
Ut digne demus cantica,
Nostra disrumpe vincula.

3. Tu es nostrum refugium,
Tu robur potentissimum,
Tu salus et protectio
Nostraque jubilatio.

4. Dona, creator omnium,
Qui es vita viventium,
Ut precibus almi Autberti
Te valeamus perfrui.

5. Praesta, pater piissime.

Psalt. ms. Cameracense saec. 12/13. Cod. Cameracen. 31. A. — Brev. ms. Cameracense saec. 13. Cod. Cameracen. 57. B. — Brev. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracen. 39. C. — Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracen. 93 D. — Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracen. 32. E. — Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracen. 130. F. — Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Parisien. 17 295. G.

152. De sancta Barbara.

Ad Vesp. et Noct.

1. Hymnizemus Christo regi
Per laudum insignia,
Concinentes ejus legi,
Inclita dum Barbara
Coadsistit ejus sedi
Scandens super aethera.

2. Quae in via decoratur
Variis miraculis,
Nam per ipsam sic praestatur
Virtus natatoriis,
Ut in ipsis conferatur
Salus mira languidis.

3. Crucis Christi haec figuram
Efficit in marmore
Digitorum per pressuram
Et virtutis pollice,
Manens cunctis ad puncturam
Cordis indelebile.

4. Dum fatetur trinitatem,
Pater ejus fremuit,
Per Dei nam majestatem
Signum magnum claruit,
Virgo muri firmitatem
Inconfractam transiit.

5. Nam per ventum sursum ducta,
Cum petra sub pedibus
Haec per murum est deducta
De patris adspectibus,
Vere vecta et conducta
Angelorum manibus.

6. Gloria et laus decoris
Christo sonat undique,
Grex ovium proditoris
Virginis dum Barbarae
Locustarum creatoris
Formam gestat opere.

Brev. ms. Joh. Sintzram Wirceburgen. anni 1433. Cod. Claustriburgen. 1165. A. — Orat. ms. Dorotheae de Mittelhusen anni 1449. Clm. Monacen. 10930. B. — Diurn. Caminense imp. Lipsiae 1519. C. — Brev. ms. Caminense saec. 15. Cod. Berolinen. VIII° 123. D.

3, 1 sq. efficit figuram D. — 3, 5 cutis ad pressuram A. — 4, 2 Pater ense fremuit A. — 4, 6 Infractam transsiliit A. — Str. 6 Gloria et honor Deo usquequo etc. AB.

153. De sancta Barbara.

Ad Laudes.

1. In sepulchro venerando
Virginis eximiae
Facto Dei admirando
Haec locustae hodie
Perseverant demonstrando
Mira facta Barbarae.

2. Haec dum clausa tenebroso
Residet in carcere,
Visitatur luminoso
Et coelesti jubare,
Christo solo specioso
Sanatur a vulnere.

3. Circuiens perversorum
Terram nudo corpore,
Ecce manus angelorum
Stola mirae gloriae
Sponsam tegunt, Christi thorum
Amplectentem fervide

4. A proprii decollata
Genitoris gladio,
Patri adest praeparata
Ira Dei ultio,
Caro ejus nam cremata
Est igne fulmineo.

5. Gloria et honor Deo.

Brev. ms. Caminense saec. 15. Cod. Berolinen. VIII° 123. A. — Diurn. Caminense imp. Lipsiae 1519. B. — Der Hymnus ist offenbar nur eine Divisio des vorhergehenden.

154. De sancta Barbara.

Ad Vesperas.

1. Festum nunc celebre virginis inclitae
Devotis mentibus et piis actibus
Convenit promere festivo tempore
Coelorum regi Domino.

2. Fenestram statuit Deum, quem coluit,
Captivae famulus virginis angelus
De coeli culmine advenit lumine
Reformans poenam gaudio.

3. Mamillas nobiles castique corporis
Abscidit impia gens absque venia
Nudamque reddidit, quam Deus condidit
Supernae stola gloriae.

4. Hinc pater filiam rapuit Barbaram,
Truncatur capite, quassatur vulnere,
Pater jam periit et virgo adiit
Felicem sinum Abrahae.

5. Oramus, Domine, conditor inclite,
Ut nos cum virgine simul et martyre
Barbara gloriam ducas ad coelicam
Peccati data venia.

6. Praesta hoc, genitor, optime maxime,
O tu nate Dei et bone spiritus,
Regnans perpetuo, fulgida trinitas,
Per cuncta pie saecula.

Diurn. ms. S. Martini Embricen. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 22. — Str. 4 und 5 sind in der Hs. offenbar irrtümlich umgestellt.

155. De sancta Barbara.

Ad Laudes.

1. Laudes, quas hodie tibi persolvimus,
Christe, rex gloriae, sume propitius
Et munus gratiae confer canentibus
Jam sanctae Barbarae sacra solemnia.

2. Quae clara genere fuit sed moribus
Nec non et opere claruit amplius,
Nam Dei munere est abundantius
Perfuncta protinus a pueritia.

3. Haec regem gloriae clanculo coluit,
Idola respuit ancilla Domini
Veluti decuit, et sibi penitus
Mundus displicuit et ejus gloria.

4. Illud ut patuit patri, vesania
Movetur, fremuit ut saeva bestia,
Adhibuit illi dira supplicia,
Sed vicit omnia mira constantia.

5. Et post haec feroci traditur judici,
Ut ipsam enecet diris suppliciis,
Patitur ab eo verbera, carcerem
Et aestus lampadum, cratis incendia.

6. In his et aliis invicta permanens,
Haec patri redditur eodem impio,
Truncatur gladio, mercatur sanguine
Fuso pro Domino regna coelestia.

7. O sponsa Domini, martyr egregia,
Subtrahe crimini nos per suffragia
Et redde numini post haec exsilia,
Ut tibi comites simus in gloria.

8. Pater, per filium sit tibi gloria,
Salvator omnium, tibi victoria,
Purgator cordium, sit tibi gratia,
Qui vivis et regnas saecla per omnia.

Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518.

156. De sancto Bartholomaeo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Sublimis sedis gaudium
Chorus persolvat omnium,
Claro resultans lumine
Apostolorum gloriae.

2. De quorum sorte splendida
Bartholomaeus emicat,
Condignus apostolico
Vocari patrocinio.

3. Qui compar inter principes,
Orbis terrarum judices,
Defendat nos examine
Severitatis ultimae.

4. Cui plaudunt insignia
Miraculorum milia,
Ut protestatur India,
Christi redempta gratia.

5. Praesta, salvator omnium,
Quo constat omne saeculum,
Bartholomaei precibus
Nos jungi in coelestibus.

Brev. ms. Sammaglorianum anni 1427. Cod. Mazarin. 346 (767).

157. De sancto Bartholomaeo.

Ad Nocturnum.

1. Bartholomaee, tuum repetito tempore festum
Invitat claros populum celebrare triumphos.

2. Psallimus, ecce, Deo grates meritas referendo,
Qui tibi splendifluum concessit scandere coelum.

3. Fortia mortalis contemnens vulnera carnis,
Ut tibi perpetuis vitae succederet usus.

4. Sis memor unde, tui recolunt qui gaudia festi,
Ut factor famulos et servet pastor alumnos.
5. Deo patri atque nato laus cum sancto spiritu
Semper sit per infinita saeculorum saecula.

Brev. ms. Sammaglorianum anni 1427. Cod. Mazarin. 436 (767). — 4, 2 serves Hs. — Die im trochaischen Tetrameter sich bewegende Doxologie legt die Vermutung nahe, das Lied sei auf die Melodie eines diesem Versmafse zugehörigen Hymnus gedichtet.

158. De sancto Bartholomaeo.

1. Ad laudes Christi procerum
Cunctorum fratrum concio
Suavi modulamine
Depromat actus pariter.
2. Postquam ad patris dexteram
Sua, patris potentia
Ascendit et discipulos
Sancto replevit spiritu;
3. Bartholomaeus inclitus
Praedicans Dei filium
Ingressus est in Indiam,
Faciens mirabilia.
4. Cujus vultus insignia,
Virtutes et prodigia
Hostis Berith nequissimus
Suis narrat complicibus.
5. Apostolus tunc filiam
Cernens regis lunaticam
Saluti verbo reddidit
Et idola comminuit.
6. Conversus rex ad Dominum
Statim omnis et populus
Oblatus est Polymius
Sacro fonti cum omnibus.
7. Hic castigatur ictibus
Astrige sub saevissimo,
Nudatur cutis tegmine
Vivens et Deum confitens.
8. Sic in trophaeo fidei
Caelebs athleta permanens,
Abscissus ense verticem
Coelos triumphans petiit.
9. Cujus caterva precibus
Sacra culta fidelibus
Devicto hoste callido
Fruamur coeli gaudiis.
10. Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
Honor, potestas, gloria
Per saeculorum saecula.

Diurn. ms. Gerardimontanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 8910. — 5, 3 redditam Hs. — 6, 4 Sacrum fontem. — 7, 2 Sonst Astryages (Astyages).

159. De sancto Bartholomaeo.

1. Adest dies laude digna,
Grata nobis et benigna,
Ad coeli vectum solium
Sanctum per Bartholomaeum.
2. Vivens in terra positus
Vir totus apostolicus
Non desiit anhelare,
Verbum Dei seminare.
3. Doctor sectam haereticam
Exstirpavit veneficam,
Illuminans ecclesiam,
Cunctis fundendo gratiam.
4. Sancte pater, nos dirige
Mentesque nostras erige,
Sacris ut tuis precibus
Coeli jungamur civibus.

5. Sit laus, honor et potestas,
Decus, virtus et majestas
Patri Deo, Christo nato,
Spiritui paracleto.

Brev. ms. Coloniense saec. 15. ex. Cod. Colonien. 2. — 1, 4 per ergänzt.

160. De sancto Basilio.

1. Magni festa Basilii,
Magno digna praeconio,
Matris supernae filii
Prosequamur cum gaudio.

2. Quem renascentem gratiae
Splendor perfudit coelitus
Et in columbae specie
Sanctus invisit spiritus.

3. Cui sancta verbo proprio
Sacrare Christus annuit
Et in splendore nimio
Sacranti praesens adfuit.

4. Dum sancta tractat, puerum
Videns in ejus manibus
Hebraeus natus iterum
Credit cum suis omnibus.

5. Ephrem prece Basilii,
Ut optat, Graece loquitur,
Suscitati Mercurii
Tyrannus hasta moritur.

6. Lepra fugit ab homine,
Delentur scripta feminae,
Suum professum perdidit
Satanque chartam reddidit.

7. Non migrat vir angelicus,
Donec sancta conficiat,
Quae secum Joseph medicus,
Nunc Johannes, percipiat.

8. Da, Deus, ut Basilii
Simus in regno socii,
Qui trinus personaliter
Unus regnas perenniter.

Brev. ms. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520. — 3, 1 sanctam. — 3, 4 praeses.

161. De sancto Benedicto.

Ad Vesperas.

1. Fratres, veridico cantica plectro
Laudis mirifico psallite Christo,
Qui ficulma suum carcere clausum
Jam vult astrigerum scandere coelum.

2. Mitem, pacificum hic Benedictum
Adscivit sibimet, numine mactum
Divino puerum ac sibi carum,
Qui vitae tribuit dogmata sanctae.

3. Hunc nobis, petimus, esse benignum,
Pro nobis Dominum Jesum exoret,
Fletus suscipiat, corda perurat,
Coelos aperiat, gaudia donet.

4. Praestet pauperibus hoc pater almus,
Hoc natus moderans cuncta decenter,
Largitrix caritas flaminis atque,
Nos semper trinitas ista gubernet.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 14, Cod. Virdunen. 116. — 1, 3 Das Wort ficulma habe ich nirgends finden können; es mufs dem Sinne nach soviel als plasma, factura, figmentum bedeuten und dürfte aus dem Worte figulus (fingere, figmen, figlinus) gebildet sein. — 2, 1 Mittem pacificus Hs. — 3, 2 exoret Jesum Hs.

162. De sancto Benedicto.

Ad Nocturno.

1. Auctor potens, Deus, rerum,
Constant quaecumque, omnium,
Dudum qui tuum puerum
Sacrasti gratia sanctum.

2. Nomine quoque beatum
Tribuisti Benedictum
Nobis praeesse patronum,
Audi clemens vota precum.

3. Et qui illum decorasti
Virtutum miris opibus,
Nos exornes dignis aptans
Condecenter operibus.

4. Auge fidem, praebe pacem,
Procul pelle nefas omne,
Absit tepor, fervor adsit
Nostrismet in pectoribus.

5. Poscat hoc doctor benignus,
Cujus festa veneramur,
Interventu tuo sacro
Nec non auxilio sancto.

6. Ut tibi semper devoti
Terrenos linquentes actus,
A te semper sublimati
Coelestia penetremus.

7. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 116. — 1, 2 Constat. — 4, 3 tepor ergänzt. — 5, 1 Noscat hoc.

163. De sancto Bertino.

Ad Vesperas.

1. Hymnorum modulis consona dulcibus,
Vocis supplicibus, actibus inclitis
Bertinum celebrem aula fidelium
Decantat tibi, rex bone.

2. Hic rebus patriis omnibus exuens
Cor vitae patulum legibus indidit,
Sublimemque crucem post Deum efferens
Vadit tiro juvenculus.

3. Mentis se sociat foedere consono,
Audomare, tibi praesul amabilis,
Ut verbi Domini semina Morinis
Adjutor bonus inserat.

4. Hunc lucem populis esse jubens, ratem
In fluctus properans remigio suo
Sistit praecipitem diva potentia
In portus, Sithiu, tuos.

5. Hinc, Bertine, pater praecluus, optime,
Servorum gemitus suscipe supplices,
Optatam veniam largius obtinens,
Poenam meritam amovens.

6. Praesta, magne pater, conditor inclite,
Praesta, Christe Jesu, nostra redemptio,
Praesta, vivificans sancte paraclite,
Cui laudes Deo psallimus.

Brev. ms. Bertinianum saec. 16. Cod. Audomaren. 392. A. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. B. — 4, 4 Sythni A. — 6, 1 pater magne B. — 6, 4 Cum laude Deo A.

164. De sancto Bertino.

Ad Nocturnum.

1. Aeterno regi Domino,
Coeli ditatus praemio,
Miles Bertine emerite,
Canentes vernas respice.

2. Dum tectus carnis tegmine
Hic certares legitime,
Praeclara velut lampada
Fulsisti tu Christicola.

3. Poscimus ergo supplices,
Ut nos, pater, laetifices
Precibus sacratissimis,
Quo gaudes in aethereis.

4. Aeternalis sit gloria
Patri, nato condebita
Paraclitoque consona
In saecula perennia.

Brev. ms. Tornacense saec. 14. Cod. Tornacen. XXI. A. — Brev. ms. Bertinianum saec. 16. Cod. Audomaren. 392. B. — Brev. Tornacense imp. 1497. C. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. D. — 5, 2 Patri natocum debita C.

165. De sancto Bertino.

Ad Laudes.

1. Quod suis fidum Sithiu patronum
Coelitus gregi miserans dedisti,
Christe, lux patris, reparator orbis,
Laus tibi, Deus.

2. Hodie junctus superis beatus
Gaudet aeterno pretio laborum,
Concinens sanctus jubilum choreis:
Laus tibi, Deus.

3. Miles invictus, Dominum precatus
Sume servorum adnuens reatum,
Consonans nobis precibus beatis:
Laus tibi, Deus.

4. Hinc tibi patri propriaeque proli,
Hinc, coaeternus utriusque flatus,
Trine personis, deitate simplex,
Laus tibi, Deus.

Brev. ms. Bertinianum saec. 16. Cod. Audomaren. 392.

166. De sancto Bertulpho.

Ad Vesperas.

1. Omnis justitiae arbiter unice,
Qui virtute tua protegis omnia,
Bertulphi meritis exere famulis
Coelestis decus ordinis.

2. Hic dum corporeo carnis in atrio
Vitae gymnasium egerat optimum,
Adversus zabulon fecerat impetum,
Cum pompis superans eum.

3. Virtutum radiis splenduit inclitis,
Defensor viduis et pater orphanis,
Clemens pauperibus, largus egentibus
Et per cuncta piissimus.

4. Dum novit proprium affore transitum,
Degustans deici dona viatici
Excessit fragilis pondera corporis,
Regnaturus in arduis.

5. Hinc dantes celebris neumata carminis,
Alternis colimus nos quoque laudibus
Personis Dominum in tribus unicum,
Qui factor manet omnium.

Brev. ms. Blandiniense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 29253. — Nach Str. 3 Divisio.

167. De sancto Brioco.

Ad Vesperas.

1. Brioci, sacri praesulis,
Insigniti miraculis,
Praesens instat celebritas,
Laudes solvamus debitas.

2. Qui per coelestem nuntium,
Futurae rei conscium,
Nasciturus praedicitur,
Et res verba subsequitur.

3. Post directus Parisius
Fit adoptivus filius
Germani, celsi meritis
Et sacrati antistitis.

4. Quanta Briocus gratia
Refulsit ab infantia,
Urceus probat coelitus
Virtute precis redditus.

5. Dum per manus pontificis
Sacratur, comam verticis
Ignis columna tetigit
Et usque coelos attigit.

6. Viro colliso femore
Redintegrato corpore,
Credit omnis provincia
Percepta Christi gratia.

7. Briocus post innumera
Mirae virtutis opera
Recepto vitae bravio
Regnat in coeli solio.

8. Honor, decus ingenito,
Laus ejus unigenito
Cum spiritu paraclito
Per saecla jure debito.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE

Cod. Parisien. 1149. saec. 15. A. — Brev. Briocense imp. Redonibus 1548. B. — 5, 1 Cum per A. — 6, 1 Iso colliso A. — 6, 2 Remeat grato corpore A. — 7, 4 in coeli filio A.

168. De sancto Brioco.

Ad Laudes.

1. Lux matutino radiat fulgore,
Terris omnino rutilat aurorae
Jubar, divino redditum favore
Gaudeat mundus.

2. Gaudeat mundus die hodierna,
Felix et mundus carie veterna,
Sede jucundus sedet in superna
Pontifex iste.

3. Pontifex iste coelo nuntiatus
Formam baptistae fuit aemulatus,
Dum venter matris eo gravidatus
Idem rependit.

4. Idem rependit donum castitatis,
Totus intendit zelo caritatis,
Dum nil offendit ventus vanitatis
Nec leve quidquam.

5. Nec leve quidquam animum turbavit,
Pestem antiquam pedibus substravit,
Carnis iniquam luem superavit
Mentis vigore.

6. Mentis vigore fortis in adversis,
Cordis rigore frivolis dispersis,
Vero splendore tenebris detersis
Illuminatus.

7. Illuminatus lumine superno
Sit advocatus noster, ut aeterno
Ipso juvante potiamur regno
Omne per aevum.

Brev. Briocense imp. Redonibus 1548.

169. De sancta Calfagia.

Ad Vesperas.

1. Salve, mater et patrona,
Calfagia veneranda,
Tu es virgo Deo digna,
Mitis, prudens et benigna.

2. Ausonii haec pedibus
Provoluta devotius,
Dum sacrum poscit baptisma,
Fidei plana subiit.

3. Morbo laborans sanguinis
Profluvionis jugiter,
Beati viri precibus
Sanata est celeriter.

4. Arcadius incredulus,
Morbo laborans simili,
Ausonium tu deprecans
Curatus es similiter.

5. Caste vivens et pudice
Perseverans continuo
Sacri status virginei
Ornata es velamine.

6. Uni trinoque Domino
Sit decus, laus et gloria,
Qui Calfagiae precibus
Ducat nos ad coelestia.

Officia ms. Engolismensia saec. 16. Cod. Burdigalen. 81.

170. De sancta Calfagia.

Ad Laudes.

1. Ad laudem tui nominis
Festum colimus hodie,
De Calfagiae transitu
Dies nobis laetitiae.

2. Puella, virgo nobilis,
Fervore calens fidei,
Sermonibus Ausonii
Gaudens ad Christum adiit.

3. In quo fidens mirifice
Duplici fulta munere
Pulsis erroris tenebris
Sospitatemque meruit.

4. Accensa pro hoc fortiter
Amore tui nominis,
Spretis cunctis viriliter
Sponsa Domini dicatur.

5. Obtentu sanctae virginis
Solvamur a criminibus,
Aegras mentes et corpora
Sanari, Christe, poscimus.

6. Calfagia generosa,
Manum benigne porrige,
Dei sponsa gratiosa,
Tu nostri curam suscipe.

7. Sit laus summae trinitati,
Decus, honor et gloria,
Quae est dignae Calfagiae
Salus, merces et omnia.

Offic. ms. Engolismensia saec. 16. Cod. Burdigalen. 81.

171. De sancto Castore.

1. Castoris ut praeconia
Cantemus cum laetitia,
Da nobis pacem cordium
Rex Christe, factor omnium.

2. A juvenili tempore
Laborabat summopere,
Ut obtineret meritum
Deus, tuorum militum.

3. Semper in abstinentiis
Degebat et vigiliis
Te diligendo intime,
Lucis creator optime.

4. Tandem Mosellam adiit
Ibique cellam statuit
Cultor tui servitii,
Summe largitor praemii.

5. Orando navem reddidit,
Quam negans sal mox perdidit,
Unde te laudant populi,
Jesu, salvator saeculi.

6. Regi regum sit gloria,
Qui post haec transitoria
Castorem jussit ingredi
Ad coenam agni providi.

Brev. ms. S. Castoris ad Confluentes saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 165. A. — Brev. ms. S. Castoris saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 193. B.

172. De sancta Cilinia.

1. Digna Deo Cilinia,
Virtutum luce fulgida,
Quae cuncta spernens lubrica
Mansura tenes gaudia.

2. Juncta sanctorum coetibus
In celsis coeli sedibus
Sis nostri memor coelitus
In sacris tuis precibus.

3. Deo patri sit gloria.

Hymn. ms. Laudunensis saec. 12. Cod. Laudunen. 263. A. — Hymn. ms. Laudunensis saec. 12. Cod. Laudunen. 262. B. — Brev. ms. Laudunense saec. 14. Cod. Laudunen. 259. C. — Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Laudunen. 258. D. — D giebt foldende verstümmelte Doxologie: Deo patri atque nato Laus cum sancto spiritu Per infinita saeculorum saecula.

173. De sancta Cilinia.

1. Qui respicis humilia
Ostendens mirabilia,
Qui potens fecisti magna
Cum beata Cilinia,

2. Fecundans ejus viscera
Sacrae sobolis gratia,
Hujus prece corda nostra
Virtutum prole fecunda.

3. Deo patri sit gloria.

Hymn. ms. Laudunensis saec. 12. Cod. Laudunen. 263. A. — Hymn. ms. Laudunensis saec. 12. Cod. Laudunen. 262. B. — Brev. ms. Laudunense saec. 14. Cod. Laudunen. 259. C. — Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Laudunen. 258. D. — 1, 3 fuisti magna D. — 1, 4 Ad beata Cilinia D.

174. De sancto Clemente.

1. Athleta Clemens hagius,
Romanus praesul tertius,
Carus Deum colentibus
Fuit atque gentilibus.

2. Hic verbum vitae seminat,
Incredulos exterminat,
Theodora hunc sequitur,
Sisinnius convertitur.

3. Clementem inter exsules
Maligni pellunt consules,
Sub agni pede elicit
Fontem, cunctos qui reficit.

4. Tandem ligata anchora
Ad collum subit aequora,
Locusque deditur ei
Instar templi marmorei.

5. Laus et perennis gloria
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Cusanus 74.

175. De sancto Clemente.

Ad Vesperas.

1. Plebs omnium fidelium
Ad hoc solemne gaudium
Jam regi vectigalia
Deo solvat et debita.

2. Clemens adest in nomine,
Clemens Deus in martyre,
Clementis per solemnia
Adsit Dei clementia.

3. Iste Petri discipulus,
Est quem secutus moribus,
Romae fuit episcopus
Vir atque apostolicus.

4. In tantum hic praevaluit,
Sisinnio quod reddidit
Visum, auditum perditum,
Hoc conjugis per meritum.

5. Vidit fontem de silice
Agni sub pede fluere,
Quo sitienti populo
Propinavit in eremo.

6. Sancte, tuere famulos
Et esse fac idoneos,
Dele malum, quod egimus,
Auge votum, quod vovimus.

7. Gloria tibi, Domine,
Laus sit et in hoc martyre,
Cujus nos intercessibus
Supernis jungas civibus.

Psalt. ms. Italo-Monast. saec. 15. Cod. Claromonten. 67.

176. De sancto Clemente.

Ad Laudes.

1. Corruscans jubar in hoc mundo rutilat,
Phoebus et astra arcem coeli penetrant,
Clara festivis tribuunt lucinia,
Cum Clemens alta martyr sulcat aethera.

2. In coelis rubet non effuso sanguine,
Martyrem quia meruit accipere
Mare profundum, immersum cum pondere
Anchorae ferri in collo pro cuspide.

3. Fieri siccum ad solvenda munia
Solet pergenti martyris ad limina,
Ut jam per illa coeli sint patentia,
Nostra, sancte Clemens, sume encennia.

4. Sit laus regenti Domino in gloria,
Genito Dei simul et victoria,
Flamini sancto una sub essentia,
Qui regit cuncta sua ad imperia.

Psalt ms. Italo-Monast. saec. 15. Cod. Claromonten. 67. — 1, 3 Lucinia = natalitia von lucinus gebildet. — 3, 1 absolvenda moenia. — 3, 2 lumina.

177. De sancto Clemente.

1. Clemens, summe praesul Christi,
Qui martyrii meruisti
Sublimari gloria;
Audi preces populorum,
Poenas deme peccatorum
Solita clementia.

2. Festa tuae passionis
Colimus devotionis
Celebri laetitia;
Audi preces populorum,
Poenas deme peccatorum
Solita clementia.

3. Te pastorem et doctorem
Sui gregis atque legis
Fecit Dei gratia;
Audi preces populorum,
Poenas deme peccatorum
Solita clementia.

4. Maris unda laetabunda
Viam parat, qua declarat
Tua aedificia;
Audi preces populorum,
Poenas deme peccatorum
Solita clementia.

5. Honor, virtus et potestas
Sempiternaque majestas,
Laus, perennis gloria
Unicae sit trinitati,
Trinae quoque unitati
Saecula per omnia.

Antiph. ms. Calcariense saec. 15 (Privatbesitz) A. — Brev. ms. S. Mariae apud Ressam anni 1601. Cod. Berolinen. VIII. 120. B.

178. De s. Clemente Metensi.

Ad Vesperas.

1. Gaudet chorus coelestium
Sancti Clementis gloria,
Psallat turba Metensium,
Beata nobis gaudia.

2. Clemens Christum intellexit,
Natum Maria virgine,
Metensibus hunc transvexit
A solis ortus cardine.

3. Fidem monstrat virtutibus
Clemens et per miraculum,
Metim mundatam anguibus
Agnoscat omne saeculum.

4. Dum natam regis suscitat,
Metenses fidem subeunt,
Et dum idola fugitat,
Vexilla regis prodeunt.

5. Data lege Metensibus
Omnes replentur gaudio,
Clamitant junctis manibus:
Jesu, nostra redemptio.

6. O gloriose pontifex,
Absterge labem scelerum,
Adsisque nobis opifex,
Conditor alme siderum.

7. Quod nobis praestet genitor
Et genitoris genitus,
Tu par utrique conditor,
Veni, creator Spiritus.

Brev. ms. Metense saec. 15. Cod. Meten. 462.

179. De s. Clemente Metensi.

Ad Nocturnum.

1. Exsultemus venerantes
Concordi melodia
Sanctissimi collaudantes
Clementis praeconia,
Voci vitam conformantes
Placebit symphonia.

2. Consul fuit Romanorum
Clemens et patricius,
Inter natos urbanorum
Claruit nobilius
Et in triviis doctorum
Floruit prudentius.

3. Dum beatus praedicaret
Petrus Romae civibus,
Hunc consulem baptizavit
Instruens dogmatibus,
In praesulem consecravit
Transmittens Metensibus.

4. Novae legis praedicator
In urbem Metensium
Venit praesul, reprobator
Deorum gentilium
Et fidei comprobator
Signi per indicium.

5. Salus aegris reparatur,
Dum fit baptizatio,
Atque serpens effugatur
Cum veneno noxio,
Nata regis suscitatur
Fides datur orio.

Brev. ms. Metense saec. 15. Cod. Meten. 462.

180. De s. Clemente Metensi.

Ad Laudes.

1. Ave, praesul venerande,
Lapsis verus opifex,
O confessor memorande,
Tamquam bonus pontifex
Paradisi viam pande,
Mundi quo stat artifex.

2. O lucerna pietatis,
Prima vena veniae,
Subsidium desolatis,
Spes et fides patriae,
Pacem dona tibi datis
Cum aeterna requie.

3. Honor patri filioque
Sit cum sancto flamine.
Et procedens ab utroque
Ab inferni limine
Nos defendat, donet quoque,
Ut simus in lumine.

Brev. ms. Metense saec. 15. Cod. Meten. 462.

181. De ss. Cosma et Damiano.

1. Exsultet nunc ecclesia
De martyrum victoria,
Quae ducit ad coelestia
Christum regem profitentes.

2. Haec nostra purgat vulnera
Et constringit facinora
Confortans cum clementia
In tenebris sedentes.

3. Per martyrum certamina
Silent terra et maria,
Stupent poenarum genera
Naturae vim immutando.

4. Surgunt claudi, vident caeci,
Liberantur dati neci
Tyrannorum perfidia
Ipsos sanctos invocando.

5. Mira martyrum sanctorum
Res, qui per mortem eorum
Vitam veram invenerunt
Et terrena abjecerunt,

6. Ad coenam magnam vocati
Et ad hoc praedestinati
Pugnam grandem inierunt
Et ad palmam pervenerunt.

7. O praeclara mors sanctorum,
Per quam Christus, rex coelorum,
Obtenebravit tartara
Et decoravit aethera.

8. Sic precibus beatorum
Et martyrum electorum
Perducant nos ad gaudia
Sine fine manentia.

Brev. Bremense imp. Coloniae 1486. — 3, 4 Natura.

182. De ss. Crispino et Crispiniano.

1. Quantas sancti corpore poenas
Propter Dominum toleravere,
Praemia vel quae hinc adipisci
Coeli solio promeruere,
Singula strictim placet arguto
Fidibus lentis promere cantu.

2. Isti saevos ante tyrannos
Ducti, Dominum publica Christum
Voce professi, aspera probra,
Fustes, trochleas, flagra, catastas,
Carceris umbras, gladios tandem
Jugulis tensis sustinuere.

3. Hinc ereptos Christus in aula
Coeli rutila diadematos
Splendidiore sole corona
Nec non niveis vestibus illos
Condecoratos posuit secum
Patris ad dextram glorificatos.

4. Laudes ergo cunctipotenti
Patri, genitae simul et proli
Spirituique vivificanti
Demus supplici voce rogantes,
Nos ut eorum meritis atque
Precibus salvet omne per aevum.

Brev. ms. Aurelianense saec. 14. Cod. Parisien. 1259. A. — Psalt. ms. Aurelianense saec. 15. Cod. Aurelianen. 131. B. — Brev. Aurelianense imp. s. l. et a. C. — 1, 1 O quantas C. — 1, 2 toleraverunt BC. — 1, 3 quae fehlt A. — 1, 5 stricti AC; strictum B. — 1, 6 cantum A. — 4, 4 Demus simplici C.

183. De ss. Crispino et Crispiniano.

1. Avete, nobiles martyrum flores,
Crispine cum sancto Crispiniano,
Audite supplicum preces servorum.
2. Qui vitae speculum patremque rerum
Videntes animo fortes duello
Contra multimodas stetistis pugnas.
3. Hoste superato heu bis mortuo
Et pugnae stadio jam transmeato
Sumpsistis bravium Dominum Christum.
4. In choro martyrum est lumen vestrum
Ut sidus splendidum, quod implet mundum,
Illic, quod poscitur, dabitur nobis.
5. Precamur cernui, o vos patroni,
Subvenite clero vobis devoto
In regno judicis, pro quo certastis.
6. Laus aeterno patri, vitae datori,
Una cum filio, Domino nostro,
Atque paracleto spiritu sancto.

Brev. Osnabrugense imp. Maguntiae 1516.

184. De sancto Donato.

1. Iste martyr egregius
Coelum scandit sublimius,
Christi volat in amplexus,
Quos amoris jungit nexus.
2. Calicem salutis sumpsit,
Jesu nomen invocavit,
Et cujus sanguinem bibit,
Pro eo proprium fudit.
3. Cum potente discubuit
Et prudens consideravit,
Qualia sunt apposita,
Praeparavitque talia.
4. Ad nuptias invitatus
Loco infimo contentus,
In coeli convivio
Sublimatur a Domino.
5. Rogemus ergo cernui,
Ut Deus prece Donati,
Cujus festa percolimus,
Nos societ coelestibus.
6. Summo parenti gloria
Natoque laus quam maxima
Cum sancto sit spiramine
Nunc et per omne saeculum.

Brev. Misnense imp. Lipsiae 1502.

185. De sancto Ebrulpho.

1. Summi regis potentia
Cuncta disponens saecula
Divina spargit munera
Credentium per pectora.
2. Qua postulemus supplices,
Ut nos illustret desides,
Quo simus apti capere
Donum supernae gratiae.

3. Cujus nitoris schemate
Ornati decentissime,
Laudes promamus inclitas
Ebrulpho sancto debitas.

4. Qui per iter monasticum
Pervenit ad aethereum
Excelsi throni thalamum,
Sanctorum consors civium

5. Ebrulphe, pater lucide,
Nostros clamores suscipe
Tuisque sacris precibus
Nos munda culpis omnibus.

6. Ut luce spiritalium
Resplendentes charismatum
In corde simus sobrii,
In carne semper liberi.

7. Tuoque nos precamine
Fac poli summa scandere,
Quo valeamus cernere
Jesum benignum sedule.

8. Sit regi regum Domino
Cum prole et paraclito
Imperium et gloria
Per saeculorum saecula.

Hymn. ms. Lirensis saec. 12. Cod. Ebroicen. 70.

186. De sancta Elisabeth.

1. O Deus alme, nostris fave votis
Festa dilectae celebramus tuae,
Supplices a te veniam precamur,
Solve reatus.

2. Regia proles mater haec beata
Sese sic rexit fragilem domando
Corporis sexum, quod hostem devicit
Caste vivendo.

3. Aetate florens adhuc puerili,
Sitiens Christum ore juvenili
Osculabatur parietes templi
Januis clausis.

4. Dehinc adulta copulatur viro
Cum eo vivens modo valde miro,
Jura conservans spiritus in carne
Caste vivendo.

5. Post viri mortem castitatis votum
Servans illaesum Christumque secuta,
Quaeque possedit, pauperibus dedit
Mente devota.

6. Haec pia mater cordis in secreto
Christum oravit corde tam devoto,
Quod Jesu dulcis meruit affari
Ore beato.

7. Qui sanctam suam pie consolando
Visitat eam taliter loquendo:
Si tu vis mecum esse, volo tecum
Jugiter ego.

8. Haec pia prece quo quibus oravit,
Spiritus nece statim liberavit,
Oret pro nobis, illi supplicamus,
Omne ver aevum.

9. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 116. A. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 15. Cod. Virdunen. 117. B. — 3, 1 Caste florens B. — 4, 1 Dehinc adulata B. — 4, 4 Miro devoto (l. Mente devota = 5, 4?) B; Caste vivendo = 2, 4 A. — 7, 2 Visitavit AB; ei taliter B; dicendo A. — 9, 2 sancti fehlt B; nur Praestet hoc A.

187. De sancta Elisabeth.

Ad Vesperas.

1. Exsultet aula coelica,
Laetetur mundi machina,
Cum refert solis orbita
Elisabeth solemnia.

2. Applaudat decus virginum,
Miretur coetus conjugum,
Congratulentur viduae
Hoc illustratae jubare.

3. Exemplar poenitentiae,
Virtutem continentiae,
Insigne patientiae
In hac omnes colligite.

4. Pompas mundi despicere,
Regnum coeleste quaerere,
Nosmet ipsos contemnere
In hac potestis discere.

5. Christe, salvator omnium
Te pure diligentium,
Hujus sanctae nos precibus
Donis dita coelestibus.

6. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Claromontense anni 1454. Cod. Claromonten. 73. A. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 70. B. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisien. 1274. C. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. IV° 14. D. — 2, 4 illustrati C, illustrare D. — 3, 2 Virtutum CD. — 3, 3 Insignem CD. — 4, 1 respicere C. — 4, 3 Nosmetipsas ACD. — 5, 1 Jesu salvator D.

188. De sancta Elisabeth.

Ad Laudes.

1. Jesu, vita viventium,
Beata spes mortalium,
Christe, salvator omnium,
Laudes audi fidelium.

2. Qui firma mundi eligis
Et fortia sic dejicis,
Elisabeth nos meritis
Fac compotes et praemiis.

3. Exemplis ejus refove
Et precibus nos dirige,
Ne fides sacra torpeat,
Nec caritas refrigeat.

4. Sed firma mundi anchora
Pertingat ad coelestia,
Ubi sanctorum gloria
In omnibus es omnia.

5. Praesta, pater piissime.

Brev. ms. Claromontense anni 1454. Cod. Claromonten. 73. A. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 70. B. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisien. 1274. C. — 4, 4 et omnia A.

189. De sancta Elisabeth.

Ad Vesp. et Noct.

1. Pange, lingua, gloriosae
Viduae praeconium
Stirpe, vita generosae
Recole solemnium
Et decore speciosae
Gratiarum omnium.

2. Nata regis Hungarorum
Pulchra fide, facie,
Nupta ducis Thuringorum
A nuptarum acie
Viduarum adit thorum
Pauperis in specie.

3. Duplum quaerit uno plena
Fructu felix femina,
Cum ter denis ut sex dena
Post virtutum semina
Serta legat Sareptena
Tamquam ligna gemina.

4. Sic post statum virginalem,
Post nuptarum meritum
Instar Annae vidualem
Fert et luctus habitum,
Rectum, sanctum, principalem
Habens in se spiritum.

5. Juramentum Dei mei
Vel ejusdem septima
Voto jurans libat ei
Sui cordis intima
Septiformi dono Dei
Facta Christi victima.

6. In camino paupertatis
Fide purgatoria,
Propter fidem castitatis
Spe consolatoria
Fulget aurum caritatis,
Purum omni scoria.

7. Vas electum, vas honoris,
Vas misericordiae,
Vim virtutis et odoris,
Quibus egent hodie,
Vasis irae spira foris,
Vasis contumeliae.

8. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per aeterna saecula.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Parisien. 10487. A. — Brev. ms. S. Waldetrudis saec. 15. Cod. Duacen. 164. B. — Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Archivii Gandaven. 100. C. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Cameracen. 100. D. — Brev. Abrincense imp. Abrincis 1593. E. — 2, 4 Et nuptiarum acie B. — 3, 5 Sexta legat ABC. — 7, 1 Elisabeth vas honoris C. — Str. 5, 6, 7 fehlen DE. — Ad Laudes BC.

190. De sancta Elisabeth.

Ad Laudes.

1. Lantgravia Thuringiae
Coelum conscendit hodie
Coronis in tricesimis
Fulgens et sexagesimis.

2. Non aurum, non monilia,
Sed Christum regis filia,
Regem virtutum, induit,
Cui regnum mundi viluit.

3. Secreti votum pignoris
Implet inflexu corporis,
Dono delusus decimae
Ludus alludit animae.

4. Ludens in luctus tempore
Non spiritu sed corpore
Currit, sed intus gravitas,
Nubit, sed intus castitas.

5. Instar columbae simplicis
Pro cantu reddit gemitum,
Turtur in ara pelicis,
Casta post maris obitum.

6. Thesaurum infert superis,
Divitiarum sarcinam,
Largam in sinu pauperis
Abscondens elemosynam.

7. Dum pauperes pauperrima
Dispersis ditat opibus,
Fit tota vita victima,
Mors vivit in virtutibus.

8. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Parisien. 10487. A. — Psalt. ms. Cameracense saec. 13. Cod. Cameracen. 36. B. — Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Archivii Gandaven. 100. C. — 3, 1 Secretum C; pignoris fehlt B. — 3, 2 influxu A. — 3, 4 Lusus alludit C. — 7, 1 Cum pauperis A. — 8, 1 sqq. Gloria tibi Domine etc. A.

191. De sancta Elisabeth.

Ad Nocturnum.

1. Exsultet in ecclesia
Christi proles egregia
Recolens cum laetitia
Elisabeth solemnia.

2. Lantgravia Thuringiae
Coelum ascendit hodie,
Caronis in tricesimis
Fulgens et sexagesimis.

3. Quae ab annis infantiae
Matrem salutans gratiae
Cum puellarum lusibus
Flexis orabat genibus.

4. Nunc regnans in coelestibus
Mundum replet miraculis,
Sospitatem debilibus
Vitamque reddens mortuis.

5. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. Abrincense imp. Abrincis 1593. — Str. 2 dem vorhergehenden Hymnus entlehnt.

192. De sancta Elisabeth.

1. Laeta stupet Thuringia,
Fractis naturae regulis
Dum per sanctae suffragia
Miranda fiunt saeculis.

2. Vita defunctis redditur,
Aegris confertur sanitas,
Claudus directe graditur,
Caecos illustrat claritas.

3. Hanc ergo dignis laudibus
Nostra collaudet concio,
Quae nos profusis precibus
Dei commendet filio.

4. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Qui nos purgatos vitio
Regno collocet coelico.

Brev. ms. Praedicat. Gallic. saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 288.

193. De sancta Elisabeth.

1. Felix gaude Germania,
De cujus prosapia
Elisabeth mitissima
Effecta est coelicola.

2. Cui cuncti Christicolae
Nec non turbae coelicae
Dulces melos cum carmine
Jure tenentur promere.

3. Caecum natum dans visui,
Cui constantes famuli
Dicamus atque servuli
Hymnum sonorum cernui.

4. Obsessum a daemonio
Solvens, lepram a vitio,
Claudos ponit vestigio
Signorum in initio.

5. Laudemus nos toto nisu,
Qui pauperes pro gemitu
Gementes facit et luctu
Patrem, natum cum spiritu.

Brev. ms. Hodingense saec. 15. Clm. Monacen. 2972.

194. De sancta Elisabeth.

Ad Vesperas.

1. Pange Christo die isto
Laudes et praeconia,
Plebs fidelis, ut in caelis
Resonet melodia,
Nec discordet sed concordet
Vita cum symphonia.

2. Jubilemus et cantemus,
Dies est laetitiae,
Qua translata coelo nata
Regis est Hungariae,
Quae per fidem est jam pridem
Porta regni gloriae.

3. O felicem bellatricem
Contra carnis vitia,
Quae immundum vicit mundum,
Vicit et daemonia,
Sua vendens et impendens
Christo patrimonia.

4. Lepra cedit, mors obedit,
Ejus patrocinio
Caecis visus, moestis risus
Datur restitutio,
Tam pergendi quam loquendi
Discedit privatio.

5. Via vita dicet ita
Illi pro pauperibus:
Esurivi et sitivi
Languens sine vestibus,
Membris Christi subvenisti,
Veni cum felicibus.

6. Patri dato, dona nato,
Da sancto spiritui
Laudum dona cum corona
Decoris perpetui,
Ut in caelo Dei zelo
Possis, homo, perfrui.

Diurn. ms. Gerardimontanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 8910. A. — Vesperale ms. Franciscan. Leodien. saec. 16. Cod. Bruxellen. 6433. B. — Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503. C. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. Parisiis 1516. D. — 5, 1 Tua vita dicet D.

195. De ss. Epiphanio et Isidoro.

Ad Vesperas.

1. Gratulare, Chrysopolis,
Propter sanctorum corpora,
Quae sacrata Christicolis
Precatorum sunt pignora.

2. Isti sunt Epiphanius,
Isidorus, quos inclitus
Junior Theodosius
Tibi misit antiquitus.

3. Metu mortis intrepidi
Contempserunt supplicia,
Amore Christi fervidi
Abdicaverunt omnia.

4. Mundum vicerunt sterilem
Virtuoso certamine,
Mercedem habent fertilem
In beatorum agmine.

5. Praesta, pater, cum flamine
Per Jesum Christum Dominum
Nobis horum precamine
Salubrem vitae terminum.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 68. A. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 69. B. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bibl. Archiep. Remen. s. n. C.

196. De ss. Epiphanio et Isidoro.

Ad Matutinum.

1. Aeterna Christi munera
Et martyrum praeconia
Canant tellus et aethera
In saecula perennia.

2. Zelum vitare saeculi,
Poenas sufferre corporum
Epiphanium populi
Viderunt et Isidorum.

3. O quam felix his transitus,
Mori pro Christi nomine,
Mortem vicerunt penitus,
Sunt in beatitudine.

4. Praesta, pater, cum flamine
Per Jesum Christum Dominum
Nobis horum precamine
Salubrem vitae terminum.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 68. A. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 69. B. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bibl. Archiep. Remen. s. n. C. — 2, 1 Celum A.

197. De sancto Euchario.

1. Sacerdos Christi, Euchari,
Doctor urbis Trevericae,
Natalis tui annua
Libens vise solemnia.

2. Tibi phalanx monastica
Devota clangit jubila,
Quo pro suis excessibus
Sternas preces propitius.

3. Caterva cleri nobilis
Ad tumbam tanti praesulis
Una cum plebe credula
Pia poscit suffragia.

4. Pro cuncto te catholico
Nunc postulamus populo,
Ut tuis sanctis meritis
Muniamur a perfidis.

5. Laus, honor sitque gloria
Illi per cuncta saecula,
Qui te supernis omnibus
Sanctis conjunxit civibus.

Hymn. Sammathianus saec. 14/15. Cod. Treviren. 408. A. — Brev. ms. Sammathianum saec. 15. Cod. Treviren. 433. B. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Cusanus 75. C. — Antiph. ms. Hildesiense? saec. 13. Cod. Berolinen. Fol. 218. add. saec. 15. D. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Treviren. 427. E. — Brev. Trevirense imp. Basileae 1502. F. — 1, 1 Sacerdos Dei F; Materne CDEF. — 1, 4 Libens in se AB. — 2, 1 phalanx canonica E. — 2, 2 Devoto clangit jubilo E; devota . . jubilo B.

198. De sancto Eustachio.

1. Harmonizant omnes sancti,
Supernorum regia,
Et congaudet triumphanti
Militans ecclesia
In praeclari laude tanti
Martyris industria.

2. Quem vocavit de externo,
Gentium caligine,
Verbum patris ab abterno
Praepotenti numine
Et dulcedinis interno
Suo visit flumine.

3. Forma crucis praefulgente
Solis super radium
Fronte cervi residente,
In qua mundi pretium
Patet Christus rex, ingente
Luce lustrans devium.

4. Qui per asinam affari
Olim vatem voluit,
Is per cervum modo pari
Placidum corripuit,
Qui repleri salutari
Fidei promeruit.

5. Quid insequeris me, juste
Cultor legis geminae,
Petunt, inquam, me venustae
Tui elemosynae,
Quem ignorans sub vetustae
Mentis colis tegnine.

6. Ecce praesto tui verna,
Jube, quid vis, Domine.
Ut munderis hac caverna
Baptismali flumine
Fultus, inquit vox superna,
Septiformi lumine.

7. Te pro me opportet pati,
Vir misericordiae,
Ut Job similis sis vati,
Paris patientiae,
Hinc parentes jam renati
Utraque progenie.

8. Hujus jam conditionis
Constantes fiducia
Laureatae cautionis
Imitemur fortia,
Ut Dei fruitionis
Repleamur gloria.

Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503. — 1, 1 Harmonizent. — 2, 3 Verbo. — 2, 6 fulmine. — 8, 1 Hujus nam.

199. De sancto Eutropio.

Ad Vesp. et Laud.

1. Collaetentur corda nostra
et exsultent labia,
Quia vicit Satan sanctus
miles Eutropius.

2. Qui ad urbem convertendam
Christo missus Xanctonas,
Complendo jussum necatur
sociandus superis.

3. Hunc deducunt angelorum
chori super aethera
Cum triumpho percepturum
praeparata bravia.

4. Hujus tanti congaudentes
coelesti tripudio
Jubilemus die festo
in hymnis altissimo.

5. Sempiternae trinitati
Honor sit et gloria,
Largienti servis suis
infinita gaudia.

Brev. ms. Vindocinense saec. 13. Cod. Vindocin. 17 E. A. — Brev. ms. Vindocinense saec. 15. Cod. Vindocin. 187. B. — Brev. ms. Xanctonense? saec. 15. Cod. Parisien. 13233. C. — Brev. Senonense imp. Parisiis 1519. D. — 2, 1 convertendo A. — 4, 1 Cujus tanti.

200. De sancto Eutropio.

Ad Nocturnum.

1. Cunctis pie praesul sancte
atque martyr suscipe
Tibi fusas, Eutropi,
preces voce supplici.

2. Gloriam tibi dedisse
magnam Christum novimus
Et nunquam non exaudiri
simpla mente credimus.

3. Nostra fides nobis jussit,
Deus quam edocuit,
Operans per caritatem,
qua se fecit hominem.

4. Castitas valde servanda,
Fortis patientia,
Immo quidquid salutare
carnis est et animae.

5. Salvatori summo Deo
laus et jubilatio,
Conregnare qui dat servo
se cernenti sedulo.

Brev. ms. Vindocinense saec. 13. Cod. Vindocinen. 17. E. A. — Brev. ms. Vindocinense saec. 15. Cod. Vindocinen. 187. B. — Brev. ms. Xanctonense? saec. 15. Cod. Parisien. 13233. C. — Brev. Senonense imp. Parisiis 1519. D. — 2, 1 dedisse tibi D. — 2, 3 exaudita C. — 2, 4 pura mente CD. — 3, 1 Ora fides nobis CD. — 3, 4 Ipsumque fecit hominem A; ipse qui fecit hominem B. — 5, 4 In cernendo sedulo AB. — Der dritte zugehörige Hymnus Ad Laudes: Coeli cives applaudite (in AB) besteht nur aus fünf dem bekannten Dionysiushymnus gleichen Anfangs entwendeten Strophen, weshalb er hier wegbleibt.

201. De sanctis Ewaldis.

1. Votiva mentis gaudia
Declaret oris cantio
Et martyrum praeconia
Decora promat concio.

2. Pares Ewaldos nomine
Par extulit devotio,
Pares Deus certamine
Pari beavit praemio.

3. Quos Anglicos origine
Ad angelorum gaudia
Pro se profuso sanguine
Vocavit ex angustia.

4. Hi dum petunt Germaniam
Cultum fugando daemonum,
Necat docentes gratiam
Ingratitudo Saxonum.

5. Injecta Rhenus corpora
Sursum vehit divinitus,
Lux sanctitatis pignora
Nocte revelat coelitus.

6. Avete, cives coelici,
Favete, Christi milites,
Per vos, precamur, effici
Utraque vita sospites.

7. Honor patri cum filio
Sanctoque sit spiramini,
Qui tres pari consortio
Regnant in uno numine.

Brev. ms. Coloniense saec. 14. Cod. Dusseldorpin. C 60. — 7, 2 sit fehlt Hs.

202. De ss. Felice et Adaucto.

1. In supernum mens intenta,
Cui vivunt omnia,
Per virtutum incrementa
Spernit ignobilia
Regna mundi scaenolenta
Clarescente gratia.

3. Non inflatur, suffert, credit,
In spem vitae rapitur,
Sua linquens se excedit,
Minime compescitur,
Donec in amatum redit
Amor, quo perficitur.

3. Sese vendicans meretur
Amoris obsequio,
Non ut mens remuneretur,
Latet sic intentio,
Sed amatus adametur
Gratis absque praemio.

4. Quam adeptus inspiratus
Septiformi lumine
Voce, mente conversatus
In supremo culmine,
Sui felix incolatus
Sancto finit ordine.

5. Hanc seducere conatur
Regum adulatio,
Sed mens fortis exsecratur
Jussum cum imperio,
Quam Adauctus imitatur
Confitens in medio.

6. Poenas vicit et tortores,
Augustorum facinus
Tortos fecit et victores,
Verus amor germinus
In adversis fortiores,
Quos inspirat Dominus.

7. Quanto foris in externo
Premebantur acrius,
Tanto constans in interno
Fovebatur dulcius
Rapta numini superno
Mens immersa purius.

8. Laus sit tibi, qui es via,
Vita, lux et veritas,
Deus simplex in usia,
In personis trinitas,
Simplici sub monarchia
Trinaque divinitas.

Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503.

203. De sancto Ferreolo.

1. Ferreoli decantemus
martyris praeconium,
Cordis ei praesentemus
et oris obsequium,
Ut spe certa respiremus
ad coeli palatium.

2. Ut a cultu se divino
primitus retraheret,
Hortatus est a Crispino,
Ut hostias coleret
Idolorum et omnino
Legem Christi sperneret.

3. Impiorum assentire
Ritibus non voluit,
Immo soli deservire
Christo semper studuit
Et mandatis obedire
Sacrilegis renuit.

4. His auditis flagellatur
Statim diro verbere
Miles Christi, ponderatur
Magno ferri pondere,
Catenatus alligatur
Taestro clausus carcere.

5. A catenis expeditur
Ferreis divinitus,
Et carceris aperitur
Post biduum aditus,
Sed retentus tunc punitur
Capite vir inclitus.

6. Solum Deum veneremur
Regnantem per saecula
Et martyrem deprecemur
Omnes mente sedula,
Ut in coelis collocemur
Post vitae curricula.

Offic. ms. S. Ferreoli in Puisaia saec. 15. Cod. Parisien. 1348.

204. De sancto Firmino.

Ad Matutinum.

1. Inter supernos principes
Summique regis milites
Firminus tenet lauream
Hoste victo purpuream.

2. Hispano clarus genere,
Divino praesul munere
Pertransiit Alverniam
Christi pandens potentiam.

3. Virtutum fulgens schemate,
Verbo potens et opere,
Quacunque pergit, radios
Vitae spargit per populos.

4. Accessit hinc ad Belgicam
Fide munitus Galliam,
Ambianense oppidum
Et fecit Christo credulum.

5. Figmenta spernens daemonum
Pervenit ad martyrium,
Possidet coeli bravium
Sanctorum consors omnium.

6. Ejus precatu supplices
Effecti vitae compotes
Percipiamus gloriam
Justis cum eo debitam.

Brev. ms. Nobiliacense saec. 13. Cod. Burdigalen. 85. — Ad Vesp. enthält die Handschrift den Hymnus des Prudentius Beate martyr prospera als de sancto Firmino.

205. De sancto Firmino.

Ad Vesperas.

1. Adest Firmini praesulis
Solemnitas eximia,
Christi colenda populis,
Gaudet mater ecclesia.

2. Quem Deus de gentilibus
Lumen vocat ecclesiae,
Dum relictis parentibus
Partes intrat Uzeciae.

3. Praesul, honor antistitum,
Dum missam parat dicere,
Angelorum exercitum
Audivit hymnum canere.

4. Potestates tartareas
Arcere sibi traditur,
Dum columnas marmoreas
Daemon portare cogitur.

5. Hic de puellae corpore
Verbo pellit daemonium
Ejusque magno tempore
Postulavit auxilium.

6. Summo Deo sit gloria,
Qui cum supernis civibus
Nobis aeterna gaudia
Donet Firmini precibus.

Brev. Vapincense imp. Vapinci 1499. — 2, 1 gentibus. — 3, 4 Audit.

206. De sancto Firmino.

Ad Nocturnum.

1. Laudantes Christi famulum
Altis canamus vocibus,
Qui sprevit praesens saeculum
Suspirans pro coelestibus.

2. Roboratur jejuniis,
Fletus fundit oratio,
Coelos non motis labiis
Pulsat mentis affectio.

3. Hunc, postquam praedicaverat,
Vir exquirit lapidibus,
Lacertum quod erexerat
Scatere coepit febribus.

4. Illo defuncto ceteri
Visa Dei potentia
Flentes coeperunt conteri
Deprecantes pro venia.

5. Cum vir sanctus egreditur
Urbem, leprosus adfuit,
Qui sanitati redditur
Per osculum, quod praebuit.

6. Summo Deo sit gloria,
Qui cum supernis civibus
Nobis aeterna gaudia
Donet Firmini precibus.

Brev. Vapincense imp. Vapinci 1499. — 2, 1 Roborator. — 3, 1 Nunc postquam. — 5, 1 Cum nisi sanctis egreditur.

207. De sancto Firmino.

Ad Laudes.

1. Laudetur ab hominibus,
Qui coeli tenet gaudium,
Angelorum cum coetibus
Voces conjungat omnium.

2. Appropinquante termino,
Quo sanctus pro laboribus
Fructum ferret a Domino,
Languere coepit febribus.

3. Tunc illi dies obitus,
Cum Deo preces funderet,
Revelatur divinitus
Et quis ei succederet.

4. Quo defuncto sanctissimum
Corpus in curru ponitur,
Sed per ursum saevissimum
Bos unus interficitur.

5. Tunc per Christi potentiam
Pro bove currum subiit,
Et sic non laedens quempiam
Ursus ad silvam rediit.

6. Summo Deo sit gloria,
Qui cum supernis civibus
Nobis aeterna gaudia
Donet Firmini precibus.

Brev. Vapincense imp. Vapinci 1499.

208. De sancta Florentia.

1. Exsultemus et cantemus
Deo laudes hodie,
Qui huic diem dedicavit
Virgini Florentiae.

2. Cui nomen signans florem
satis apte congruit,
Nam virtutum honestate
multiformi floruit.

3. Haec nativo sibi loco
arbor fuit sterilis,
Sed Pictavum transplantata
est effecta fertilis.

4. Quam abscidit oleastro
magister egregius,
Inserens olivae bonae.
pontifex Hilarius.

5. Et sub flore juventutis
bonos fructus protulit
Et talentum sibi datum
duplicatum retulit.

6. In personis Deo trino,
uni in essentia,
Patri, nato, paraclito
sit perennis gloria.

Brev. ms. Pictaviense saec. 15. Cod. Pictavien. 39.

209. De sancto Florentio.

In 2. Vesperis.

1. Sancte confessor Domini, supernae
Gratiae munus humili catervae
Posce, Forenti, Deus ut decenti
Laude colatur.

2. Dum tuo laeti redeunte festo
Debitis lucem veneramur hymnis,
Quae tibi finis fuit et laborum
Integra merces.

3. Te pater quondam populi perennem
Occidentalis meditans salutem
Pacis aeternae tribuit ministrum
Finibus istis.

4. Hic diu vitae radians nitore
Praevius ductor fidei sequendae
Mitibus verbis operumque clara
Luce fuisti.

5. Pro quibus demum studiis piorum
Actuum factus comes angelorum
Jam tuae certus precibus saluti
Consule nostrae.

6. Fac tuo clemens Deus ut precatu
Expiet nostri maculas reatus
Atque felices faciat beatae
Munere vitae.

7. Sit Deo patri parilique nato
Flamini nec non utriusque sancto
Gloriae summum decus et potestas
Omne per aevum.

Brev. ms. S. Florentii saec. 15. Cod. Bruxellen. 5155.

210. In festo stigmatum s. Francisci.

In 2. Vesperis.

1. Ad Francisci fama prisci
Facit laudis fastigium,
Quod in isto dante Christo
Fulget crucis mysterium.

2. Ut formosa rubet rosa
Latus emanans sanguine
Instar nati lanceati,
Ut nos lavaret crimine.

3. Transfixura clavatura
Manus, pedes mirifica,
Cujus forma es et norma,
O crux, ave, spes unica.

4. Vernant flores et cruores
De plagis miris exeunt,
Ut athleta pulchra laeta
Vexilla regis prodeunt.

5. Carens dolis ortu solis
Scandit Franciscus eucharis
Signum ferens, vitam quaerens
Praedamque tulit tartaris.

6. Hujus ducis prece crucis
Adipiscamur praemium,
Qua Mariae natus piae
Saecli pependit pretium.

Brev. ms. Francisc. Hispan. saec. 15/16. Cod. Parisien. 1064. — 2, 1 pubet rosa.

211. De sancto Francisco.

1. Franciscus florens gratia,
Forma factus humilium,
Laetus potitur gloria
Sortis consors coelestium.

2. Hic simplex, rectus, humilis,
Pacis cultor amabilis,
Lumen in vase fictili
Ardens, lucens in fragili.

3. In paupertatis praedio
Minorum plantans vineam
Ostendit magisterio
Vitae vivendi lineam.

4. Vili contentus tegmine,
Sancto calescens flamine
Vicit algore caumata,
Christi dum gestat stigmata.

5. Verorum pater pauperum,
Nos pauperes fac spiritu,
Consortes redde superum
Ereptos ab interitu.

6. Patri, nato, paraclito
Decus, honor et gloria,
Sint hujus sancti merito
Nobis aeterna gaudia.

Diurn. ms. S. Martini Embricen. saec. 15. Cod. Capit Treviren. 22. — 1, 4 consors humilium Hs.

212. De sancto Georgio.

1. Ad coeli regis curiam
Et ad coelestem patriam
Migravit vir egregius,
Martyr Dei Georgius.

2. Leonis more prostravit
Viventes bestialiter,
Super terram militavit
Regnanti aeternaliter.

3. Bellavit hic pro renatis
Ense cinctus caritatis,
Clipeum gestans fidei
Et galeam sanctae spei.

4. Exstricavit tunc idola
Iste verus Christicola,
Scandens per virtutum clivum
Est professus Deum vivum.

5. O Deus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Per sanctorum suffragia
Crescat nostra devotio.

6. Gloria tibi, Domine,
Da vires in certamine,
Qui surrexisti a mortuis,
Nam bona cuncta tribuis.

Brev. Halberstadiense imp. Norimbergae 1501. A. — Brev. Halberstadiense imp. Norimbergae 1515. B. — 5, 1 O decus auctor A.

213. De sancto Gerardo.

1 Coelis continuum, civibus annuum,
Festivum celebret plebs pia gaudium,
Cunctis magnificum, quod dat ovantibus
Gerardus meritis, laudibus inclitus.

2. In terris positus sidera transiit
Exemplumque fuit moribus optimis,
Sic clarus meruit celsius evehi
Tulli suscipiens munera praesulis.

3. Virtutum rutilans lumine splendido
Instruxit populum dogmate vivido,
Quod verbis docuit, praetulit actibus,
Moestis compatiens se dedit ovibus.

4. Victum pauperibus largius auxerat,
In forma Dominum paupere viderat,
Vinum dat fieri lymphica pocula,
Solvit pestifera languida corpora.

5. Sic multis viguit dotibus actuum,
Nunc regno fruitur perpete coelitum,
Quo sanctis precibus crimina tergere
Dignetur, retinent quos mala noxia.

6. Hoc praestet deitas unica, trinitas,
Cui laudes reboat coelica dignitas,
Ac nos hic maculis pluribus obsiti
Oramus veniam fletibus intimis.

Brev. ms. Tullense saec. 15. (Privatbesitz.) A. — Brev. Tullense imp. Parisiis 1510. B.

214. De sancto Germano.

1. Sublime festum saeculis
Indicit annus versilis,
Hymnis resultant sidera,
Plaudunt canore terrea.

2. Germanus admirabilis
Est index hujus luminis,
Quo nemo post apostolos
Alter fuit praestantior.

3. Fatetur hoc oceanus
Bis navigando pervius,
Fatetur et Britannia
Erroris unco libera.

4. Testatur orbis Italus
Claris fruens virtutibus,
Testatur ecce Gallia
Pollens magistri gloria.

5. Germane, praesul inclite,
Vota precantum suscipe
Et super astra sedulo
Haec offer tuo Domino.

6. Litis solve discrimina,
Impetra pacis foedera,
Haeredes tandem patriae
Nos tecum redde coelice.

7. Praesta, pater piissime.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 13. Cod. Virdunen. 116. A. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 13. Cod. Virdunen. 109. B. — Brev. ms. Virdunense anni 1352. Cod. Virdunen. 107. C. — Hymn. ms. S. Vitoni saec. 14/15. Cod. Virdunen. 141. D. — Brev. Virdunense imp. Parisiis 1525. E. — 1, 4 terrena C. — 2, 1 Et index C. — 4, 2 Claris frequens BC. — Mel.: Sidus solare revehit.

215. De sancto Gereone.

1. Rex sempiterne, lucis auctor unice,
Nos atque plebis cerne vota supplicis,
Tui perennis sub honore nominis
Laudi piorum servientes martyrum.

2. Tu Gereonem, praepotentem militem,
Viris trecentis bis novenis additis,
Ut castra quondam praenitebant Abraham,
Nobis patronum sanxeras testem tuum.

3. Victor eadem mente spernens judicem
Triginta secum terque centum martyrum
Trophaea sacra vexit ad coelestia,
Par Gereoni passione martyri.

4. Splendent ad ista martyrum solemnia
Septem lucernae fulguranti lumine,
His Cassius praefulget et Florentius
In laureato purpuratorum choro.

5. Ave, beata martyrum constantia,
Multiplicata triplici victoria,
Pacem manentem, sanitatem perpetem
Te deprecante consequamur prospere.

6. Sit trinitati laus perennis simplici,
Patri potenti filioque compari
In unitate spiritus paracliti
In sempiterna saeculorum saecula.

Antiph. ms. Sanctense s. n. saec. 13. A. — Brev. ms. Coloniense saec. 14. in. Cod. Londinen. Add. 31913. B. — Psalt. ms. S. Mariae ad Arborem saec. 15. Cod. Sancten. Reg. XVI 2. C. — Diurn. ms. Coloniense anni 1429. Cod. Berolinen. VIII° 14. D. — Psalt. ms. Cranenburgense saec. 15. Cod. Berolinen. Fol. 231. E. — Brev. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. F. — Diurn. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Darmstadien. 2231. G.

216. De sancta Gertrude.

Ad Laudes.

1. Veneremur solemniter
Auctorem pudicitiae,
Christum, qui mirabiliter
Dona largitur gratiae.

2. Cujus fulta praesidio
Gertrudis, virgo regia,
Victo mundi naufragio
Pervenit ad perennia.

3. Haec generis fastigia
Sacris transcendit moribus
Anhelans ab infantia
Redimiri virtutibus.

4. Nam nata ducis Austriae
Votis restat viriliter,
Spondens se regi gloriae
Adhaesuram perenniter.

5. Hinc sacrati velaminis
Suscipiens insignia
Gradatim ad regiminis
Provehitur officia.

6. Sic dignitate praedita
Virtutum auxit opera,
Cujus Christus per merita
Nostra relaxet scelera.

7. Patri natoque pariter
Sit decus, laus et gloria
Cum spiritu, qui jugiter
Regit, gubernat omnia.

Antiph. ms. Tungrense IV. saec. 15. A. — Brev. Leodiense imp. Coloniae 1488. B. — Orat. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Colonien. 7. C. — Brev. ms. Leodiense saec. 15. Cod. Darmstadien. 394. D. — 4, 1 Austriae hier gleichbedeutend mit Austrasiae, was ABD setzen, der Vers aber verbietet. — 6, 1 Hinc dignitate C.

217. De sancta Gertrude.

In 2. Vesperis.

1. Gertrudis almae praemia
Sacra canunt solemnia,
Quam angelorum curia
Transvexit ad coelestia.

2. Haec namque mundi gaudia
Sprevit cum abstinentia,
Despiciens terrestria
Transcendit ad perennia.

3. Archangelorum gloria,
Patriarcharum munia,
Prophetarum praesagia
Nos invitant ad gaudia.

4. Apostolorum gratia
Et martyrum victoria,
Confessorum constantia,
Virginum pudicitia.

5. Flos virginum, florentia
Duc nos ad contubernia,
Inter sanctarum milia
Carpens rosas et lilia.

6. Deo patri sit gloria
Cum filii substantia
Et spiritus clementia
Per saecla pollens omnia.

Brev. Leodiense imp. Coloniae 1488.

218. De sancto Gisleno.

Ad Vesperas.

1. Haec nunc frequens devotio
Praeclaro pangat jubilo,
Hymno resultans merita
Sancti Gisleni praeclua.

2. Abrahae more patria
Qui linquens beneficia,
Se commisit exsilio
Oraculo sidereo.

3. Qui deserti latibula
Ursis penetrat abdita,
Praedicans dotem fidei
Ut praecursor altissimi.

4. Confortent ejus commoda
Nos peccatores inclita,
Ut probra mundi vincere
Laeti possimus provide.

5. Hoc summa praestet caritas,
In deitate trinitas,
Cui decus et gloria
Est per aeterna saecula.

Offic. ms. S Gisleni saec. 11/12. Cod. Montensis 27 (221).

219. De sancto Gisleno.

Ad Nocturnum.

1. Rex sanctorum, lux et virtus,
Verus de Deo Deus,
Audi laudes nunc benignus,
quas tibi subtilius
Tam clerus quam praesens vulgus
devoti persolvimus.

2. Quidquid spirat, te collaudat,
quidquid est, te praedicat,
Inter quae vox nostra pulsans
ad te, Christe, clamitat,
Ut pium praestes auditum,
toto corde postulat.

3. In te solo spes tuorum
certa stat credentium,
Quos levas festis sanctorum,
confortas et plurimum,
In quis nomen tuum sanctum
laudatur per saeculum.

4. O quam digne tu laudaris
sanctorum solemniis,
Quos facis gaudere sertis
semper candidissimis,
Sanctus quibus nunc Gislenus
laetatur cum angelis.

5. Qui vitam duxit pudicus,
plenus et virtutibus
Divinoque verbo clarus,
multis fulsit angelus,
Nuntius salutis factus,
quos misit coelestibus.

6. Praesta votis supplicantum,
quod vox poscit cordium,
Esse credimus quem trinum
est unum et verum Deum,
Exstat cui posse totum
per saeclorum saecula.

Offic. ms. S. Gisleni saec. 11/12. Cod. Montensis 27 (221).

220. De sancto Gisleno.

Ad Laudes.

1. Gratias tibi pro posse
reddimus, Jesu bone,
Qui nos es tanto pastore
dignatus invisere,
Quo docemur cuncta terrae
blandimenta spernere.

2. Cujus obtentu, precamur,
nobis parcas omnibus,
Indulgens culparum actis,
quos incaute gessimus,
Atque jungas jam placatus
civibus coelestibus.

3. Praesta votis supplicantum.

Offic. ms. S. Gisleni saec. 11/12. Cod. Montensis 27 (221). — Scheint wohl nur Divisio des vorhergehenden Hymnus zu sein.

221. De sancto Goare.

1. Laetabunda laude pia
Haec resultet ecclesia
Venerando tam inclita
Sui patroni merita.

2. Qui virtute caritatis
Et spiritu pietatis
Repletus ab infantia,
Fretus Dei clementia,

3. Miraculis corruscabat,
Per quae Deus comprobabat
Ejus vitae sanctitatem,
Meritorum claritatem.

4. Unde choris angelorum
Et coetibus populorum
Tanti patris cum gloria
Celebris est memoria.

5. Hanc devote celebrantes
Deprecamur supplicantes,
Nos conserva, rex coelorum,
In saecula saeculorum.

6. Summo patri sit gloria,
Nato virtus, victoria,
Una sancto cum flamine
Soli Deo sine fine.

Brev. ms. S. Castoris ad Confluentes saec. 14. Cod. Capit. Treviren. 181. A. — Brev. ms. S. Castoris saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 165. B. — Brev. Spirense imp. Venetiis 1509. C. — 1, 4 Tanti confessoris merita. C. — 5, 1 Hunc devote C.

222. De sancto Goerico.

1. Novum coelo fit gaudium
Hujus praesulis gloria,
Sic ad ejus praeconium
Resultet nunc ecclesia.

2. Ex praeclaris parentibus
Hic Goericus gignitur,
Mundo magnis hominibus,
Comes, dux, rex attollitur.

3. Tandem privatus lumine
Metim caecus aggreditur,
Ubi divino numine
Visus integer redditur.

4. Praesulatus hinc apicem
Sanctus Arnulphus praebuit,
Sustinuit pontificem,
Cum eremus huic placuit.

5. Quot, quanta bona faceret,
Breve non est hic canere,
Vel quam stolam meruerit,
Sed docet nos sic vivere.

6. O gloriose pontifex,
Nobis ad te clamantibus
Esto festinus opifex
Nostris necessitatibus.

7. Trinitati sit gloria,
Laus, honor cum imperio,
Divinaque potentia
Nos regat hoc exsilio.

Brev. ms. Metense saec. 15. Cod. Meten. 462. — 4, 4 heremis.

223. De sancto Gorgonio.

1. Orbis Christe salus atque redemptor,
Nos in laude tua fac sine culpa
Hunc transire diem, quo celebratur
Festum Gorgonii martyris almi.

2. Hic pro te socio cum Dorotheo
Mundi delicias atque furorem
Contempsit procerum multiplicesque
Poenas sustinuit mente potenti.

3. Ardens igne tuo cordis in imo
Flammas non metuit sed superavit
Non tormenta timens, vincla, flagella
Constanter tolerans, prospera calcans.

4. Pugna multimoda fortiter acta,
Tandem victor init coelica regna,
Et regis quoniam spreverat aulam,
Nunc te dante tua regnat in aula.

5. Quo nos ut vitiis exoneratos
Ipsius meritis atque beandos
Carnis post obitum scandere dones
Devotis precibus, Christe, rogamus.

6. Sit cum patre tibi spirituique
Sancto, nate Dei, gloria perpes,
Virtus, imperium lausque perennis,
Qui solus moderans cuncta gubernas.

Cod. Bruxellen. (ol. Nicolai Cusani) 10615—729. saec. 11. in. — 3, 2 sed speravit Hs. — 4, 1 fortiter eta Hs. — 4, 3 Et quoniam regis Hs. — Cfr. Catal. Codd. Hagiograph. Bib. Reg. Bruxellen. II, 395.

224. De sancto Gregorio.

Ad Vesperas.

1. Gaude, coelestis curia,
Nostra resultet patria,
Cum recensentur annua
Gregorii solemnia.

2. Qui totus apostolicus,
Miraculis, virtutibus
Praeventus Dei gratia,
Refulsit in ecclesia.

3. Crebris correptus febribus,
Miris pollens affectibus,
Se praesumebat diligi,
Quod merebatur argui.

4. Psallamus totis nisibus,
Jungamus preces precibus,
Laudes canentes singuli,
Dicamus tanto praesuli:

5. O Gregori, dulcissimum
Sancti spiritus organum
Atque virtutum speculum,
Posce nobis suffragium.

6. Ut hoc possimus consequi,
Quo te gaudemus perfrui
In summi regis gloria
Per infinita saecula.

Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Bruxellen. 3023—24.

225. In Ordinatione s. Gregorii.

1. Sancte, tu praebe miseris misertus
Lacrimas juges, gemitus profundos,
Et tuis certe meritis resurgunt,
Quos sua premunt.

2. Credimus Christum, pretium laborum,
Praemium justum studiis dedisse,
A quibus artus etiam solutos
More bearis.

3. Gloriam Christo supplices canamus,
Corde praestanti tibi servienti,
Tanta qui pollet, deitate simplex,
Trinus et unus.

Brev. ms. S. Arnulphi Metensis saec. 14. in. Cod. Metensis 45. A. — Brev. ms. S. Arnulphi anni 1327. Cod. Meten. 46. B. — Brev. ms. S. Arnulphi anni 1332. Cod. Meten. 333. C. — 2, 4 lies Morte?

226. De sancta Gudila.

1. Exsultet vox ecclesiae
Diem recensens hodie,
Quo vigilantem famulam
Christus assumpsit Gudilam.

2. Quae concepta nunciatur
Angelicis oraculis,
Haec assumpta decoratur
Dignis laude miraculis.

3. Arbor hiberno tempore
Vernam dat pulchritudinem,
Signans exutam corpore
Coelo florere virginem.

4. Cujus praefulget meritum
Salva regis in filia,
Qua secus maris ambitum
Baptismo gaudet patria.

5. Deo trino ac simplici
Corde psallamus supplici,
Fruamur ut concentibus
Cum Gudila coelestibus.

Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. Parisiis 1516. A. — Proprium Boscoducense imp. s. l. et a. B. — 5, 2 psallemus A.

227. De sancto Gudwalo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Tibi canunt nato Dei
Cives chorique coelici
Pro Gudwali consortio.
Tuo splendore fulgido.

2. Qui militat clarissima
Miraculorum gloria
Ponto, solo, centro poli
Per te satorem saeculi.

3. Haec attestantur angeli,
Haec clamant Adae filii,
Terrae marisque bestiae
Creaturaeque ceterae.

4. Rex Christe, solus talium
Qui factor es magnalium,
Amici talis gratia
Nos de supernis visita.

5. Tanti precatu militis
Dimitte noxam servulis,
Ut civibus cum coelicis
Tuis fruamur gaudiis.

6. Grates tibi persolvimus
In Gudwali magnalibus,
In trinitate qui manens,
In unitate permanens.

Brev. ms. Blandiniense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 29253

228. De sancto Gudwalo.

Ad Laudes.

1. O Gudwalum laudabilem,
O Gudwalum mirabilem,
O sanctitate splendidum,
Virum Deo gratissimum.

2. Tibi Deoque psallimus,
Per quem marinis fluctibus
Praesideras et bestiis
Tuis dictis parentibus.

3. Coelique se disruperant
Et angelos demiserant
Tuis parendo nutibus
Christique sacris laudibus.

4. Ergo his obsequentibus,
Apostolis psallentibus,
In patriarchae finibus
Tuus quievit spiritus.

5. Sit trinitati gloria,
Sit unitati gratia,
Patri, nato, paraclito
Aevo perenni vivido.

Brev. ms. Blandiniense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 29253.

229. De sancta Hermelinde.

Ad Vesperas.

1. Ovet jucunda concio,
Cantus pangat hymnidicos,
Hermlindis cum obsequio
Laudet actus mirificos.

2. Hujus adolescentiae
Nitor ut stella claruit,
Et laurus pudicitiae
Adusque mortem viruit.

3. Deserti loca coluit
Mundi vitans contagium,
Nec illi par innotuit
Hic ullus abstinentium.

4. Incumbat phalanx coelica
Defunctam locis eremi,
Auditur hic glorifica
Vox non fleri aut ingemi.

5. Res palam fit hominibus
Per celebres exsequias,
Quae fiunt a coelitibus,
Plebs elevat reliquias.

6. Mox fiunt hic prodigia,
Nam salus datur languidis,
Fidis salutis copia,
In detrimentum perfidis.

7. Sit laus patri cum filio,
Una sancto spiritui
Et virginis oratio
Nos juvet eo perfrui.

Brev. ms. Bethuniense saec. 16. Cod. Atrebaten. 884.

230. De sancta Hermelinde.

Ad Laudes.

1. Ecce ascendit propere
Aurora lucis praevia,
Nos creatori psallere
Creata monent in via.

2. Da merum, Christe, gaudium,
Absterge cuncta crimina,
Qui das Hermlindi praemium
Quaterna poenitentia.

3. Quae castitate floruit,
Parens obedientia
Et quae desertum coluit
In mira abstinentia.

4. Sepultam a coelicolis,
Fruentem coeli gloria
Laudari a terrigenis
Diversa dant insignia.

5. Sit laus trinae unitati,
Honor, virtus, victoria,
Omnis absit faex peccati
Hermlindis precum gratia.

Brev. ms. Bethuniense saec. 16. Cod. Atrebaten. 884.

231. De sancto Hugone.

1. Exsultet aula coelica,
Laetetur mundi machina,
Dum refert solis orbita
Hugonis sacra solemnia.

2. Miranda ejus sanctitas
Et praedicanda pietas
Largitur indulgentiam
Colentibus et gratiam.

3. Attenuabat nimiis
Corpus suum jejuniis
Pernoctans in vigiliis
Et precibus assiduis.

4. Virtutum aromatibus
Sanctisque plenus moribus
Suaviorem balsamo
Odorem dedit saeculo.

5. Migravit ad sideream
Coelestis regis patriam
Exutus carnis pondere
Sub hodierno tempore.

6. Gaudet in summa requie
Perpetualis gloriae
Jesu benigni faciem
Videns desiderabilem.

7. Hunc diligebant praesules,
Venerabantur consules,
Complectebantur principes
Anglorum atque proceres.

8. Cujus tumba fert oleum,
Matris olivae nescium,
Quod natura non protulit,
Marmor sudando parturit.

9. O venerande pontifex,
Pius nec tardus opifex
Cunctis, qui corde credulo
Te poscunt in periculo,

10. Aufer mortis dispendia,
Confer vitae stipendia,
Ut post carnis exsilia
Tecum simus in gloria.

11. Prodesse tuis famulis
Dignare dux amabilis,
Sentiant nostra precamina
Tua semper munimina.

12. Tu es nostrum refugium,
Tu robur potentissimum,
Tu salus et protectio
Nostraque jubilatio.

13. Natale tui transitus
Colentes nos festivius
Paterno vultu respice
Et nostra vota suscipe.

14. Glorificemus consono
Cordis et oris jubilo
Deum patrem cum filio
Et spiritu paraclito.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

232. De sancto Jacobo.

1. O admiranda bonitas
Universi creatoris,
Cujus superna pietas
Et divini fons amoris

2. Choros ornat angelorum
Coelique decus, agmina
Gaudent ex his supernorum
Et tota mundi machina.

3. Justis Mariae Jacobus
Coetibus associatus,
Gloriosus apostolus,
Christo qui consanguinatus.

4. Hic idolorum statuas
Urens destruxit liquide
Atque culturas fatuas
Exinanivit rigide.

5. Sancto repletus numine
Jesu Christi passionis,
Claro fulgebat lumine
Sanctae resurrectionis.

6. Exhinc daemones ligavit
Et virtute sanctae crucis
Hermogenem baptizavit
Viam dans aeternae lucis.

7. Ad quam nos, sancte Jacobe,
Digneris nunc perducere,
Ut nos fruamur lumine
Semper divinae gratiae.

Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503.

233. De s. Jacobo Archiepiscopo.

Ad. Vesp. et Noct.

1. Archiepiscopi Jacobi festum
Neminem habeat hodie maestum,
Haec dies celebris gaudia donat,
Compotes gaudii rite coronat.

2. Jacobi merita longe lateque
Liquido didicit regio quaeque,
Itinerarius apostolorum
Fregit simulacra daemoniorum.

3. Per juga montium retia jecit,
Fructum eximium Domino fecit,
Alpium incolas fonte renatos
Christo restituit justificatos.

4. Cendronum Jacobus cum fuit nactus,
Creverunt Jacobi nomen et actus,
Multa miracula digna relatu
Sunt almi Jacobi facta precatu.

5. Pater ingenite, Jacobi festa
Colere famulos sedule praesta,
Hoc unigenitus, hoc sacrum flamen,
Hoc nobis conferat trinitas. Amen.

Brev. ms. Tarantasiense saec. 15. Cod. Lugdunen. 478.

234. De s. Jacobo Archiepiscopo.

Ad Laudes.

1. Gatuletur hodierna
die nostra concio
De pastoris et patroni
nostri natalitio,
Qui a Christo coronatur
in coeli palatio.

2. Iste clarum genus ducens
proavorum germine,
Dum errorem caecitatis
agnoscit indagine,
Quidquid vidit, parvipendit
pro superno numine.

3. Sacro fonte nondum natus
venit ab Assyriis,
Vitae [viam sequens] metam
imponensque vitiis,
Fonte lotus salutari
fit sine contagiis.

4. Honoratum imitatus
pollentem in Gallia,
Jubar solis sanctitate
fulsit et justitia,
Nam virtutes operatus
fuit et prodigia.

5. Deo patri sit potestas,
honor et imperium,
Pari quoque potestate
praedicemus filium,
Ab utroque procedenti
sit decus eximium.

Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Lugdunen. 478. — 2, 3 Dum ergänzt. — 3, 4 sq. agnoscit quidquid vidit et parvipendit indapine Hs. — 3, 3 fehlen 4 Silben; die Klammer bedeutet eine Konjektur, die sich schwerlich schmeicheln kann, gerade die Worte getroffen zu haben, die hier ausgefallen.

235. De sancto Jodoco.

1. Hymnidici sonent toni,
Ut intonent dulcisoni
Consona symphonia;
Salutares adsunt joci
Prodeuntes in Judoci
Laudanda solemnia.

2. Propter Christum, quem amavit,
Regnum patris recusavit
Et ejus palatia,
Vitam egit paupertatis,
Ut coelestis bonitatis
Frueretur copia.

3. Ad nihilum hic redegit
Mundi pompam ac elegit
Vitam solitariam,
Eremitae typum gessit
Macerandoque repressit
Se per abstinentiam.

4. Judocum inter cetera
Sacrarum rerum opera
Laudat hoc miraculum,
Peregrinum, quem cremavit
Ignis, Christus liberavit
Ad Judoci titulum.

5. Hunc patronum collaudemus,
Collaudantes imploremus
Ejus patrocinia,
Ut vitia repellamus,
Virtutibus floreamus
Per ejus suffragia.

Antiph. ms. Tungrense IV. saec. 15.

236. De s. Johanne Baptista.

1. Amicus sponsi, magno gaudens gaudio,
Sponsam habentis castam in conjugio.

℟. Sanctus Johannes Baptista ad Dominum
Deum pro nobis exoret altissimum.

2. Baptista sanctus, sacri Christi corporis
Tinctor Jordanis alveo in fluminis.

3. Cujus ad ortum magnus venit nuntius
Praenuntiandum, Gabriel archangelus.

4. Datum est cui tale privilegium,
Primus ut regnum praedicet perpetuum.

5. Electus veri in modum luciferi,
Solis praecursor, propheta altissimi.

6. Faciem patris ante missus angelus
Promittens coeli regna poenitentibus.

7. Gaudens in suae parentis visceribus
Mariae sanctae salutantis vocibus.

8. Heremitarum exemplum egregium,
Domino Deo soli servientium.

9. Judae excelsi pastor Odollamita,
Testis in unda exsistens aquatica.

10. Kameli pilis indutus pro vestitu,
Heliae plenus virtute et spiritu.

11. Limes perfectus legis et prophetiae
Ac spiritalis evangelii gratiae.

12. Mellis silvestris agresti edulio
Et locustarum cibatus in eremo.

13. Nativitatem praecedens prophetia,
Juste et vere dictus Dei gratia.

14. Ortus in mundum multorum cum gaudio,
Plebis perfectae praeparator Domino.

15. Plus quam propheta, suo monstrans digito
Agnum praedictum vatum vaticinio.

16. Quo majorem ullum ex muliere natum
Dominus dixit virum non resurgere.

17. Rege ut Christo non careret capite,
Cephale sacro truncatus in carcere.

18. Spiritu sancto repletus ex utero,
Ebrietatis omni carens poculo.

19. Tantus ac talis, cujus diu tacitas
Soluit nomen patris linguae loquelas.
20. Vox in deserto clamitans, dominicas
Rectas parari vias atque semitas.
21. Xristo parata largae lucis lucerna,
Ad confundendos aemulos aptissima.
22. Ymnistae sui fragilis et miseri
Reminiscatur in conspectu Domini.
23. Zachariana proles primum Dominum
Roget pro nobis regnantem in saeculum.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. in. — 5, 2 Solis percussor. — 9, 2 aquatina. — 10, 1 vestito. — 16, 2 virum ergänzt. — 17, 2 cephala. — 19, 2 Soluit ist entweder dreisilbig oder eine Silbe ausgefallen. — 20, 1 clamitantis. — Cfr. Duemmler, Specimen p. 17 sq.

237. De s. Johanne Baptista.

1. Gaude, Johannes, Domini praecursor,
Gaude dux, pastor venerande noster,
Nosque laetemur famuli devoti
Te venerantes.
2. Dignus es omni benedici laude,
Te non est major muliere natus,
Baptista Christi pariterque nate,
Sancte Johannes.
3. Nam peccatores fragilesque sumus,
Tu fortis, justus, pietate plenus,
Delicta nostra meritis beatis
Ablue cuncta.
4. Semper, precamur, miserere semper
Poscimus pie memor esto nostri,
Offer ancillas Domino coelorum
Omne per aevum.
5. Sit Deo nostro decus et potestas,
Sit salus perpes, sit honor perennis,
Qui summa coeli resides in arce
Trinus et unus.

Brev. ms. S. Aldegundis Malbodien. saec. 14. Cod. Cameracen. 129. A. — Psalt. ms. S. Vincentii Cenomannen. saec. 15. Cod. Cenomannen. 134. B. — Hymn. ms. Berchingensis saec. 15. Cod. Coll. ss. Trinitatis Cantabrigen. O III 54. C. — Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. D. — 1, 4 Te memorantes B. — 2, 1 Dignus est B; Dignus es nostra C; benedicta laude A. — 3, 4 Absolve cuncta A. — 4, 1 precamur adjuva nos semper C. — 4, 2 pie miserere nostri B. — 4, 3 Offer clientes C, famulos B; da ancillas metrisch die richtigste Form, belasse ich diese. Vielleicht ist der Hymnus ursprünglich für ein Frauenstift gedichtet. — 5, 1 sqq. Sit salus illi etc. A. — 5, 3 residens B.

238. In Nativitate s. Johannis B.

Ad Tertiam.

1. Baptistae natalitia
Johannis cum laetitia
Confrequentet ecclesia
Sonando nova cantica.

2. Qui clausus matris utero
Alludit Dei filio
Ac muti patris senio
Succurrit verbo reddito.

3. Propheta, cultor eremi,
Martyr et lucerna spei,
Diligens praeco, Domini
Praecursor, gemma fidei.

4. Hic solus dignus flumine
Lavare regem gloriae,
Non solumque praedicere
Sed digito ostendere.

5. Quanto luna sideribus
Praefertur in splendoribus
Et rosa cunctis floribus,
Hic tanto sanctus caeteris.

6. Praesta, pater ingenite,
Jesu, cum sancto flamine,
Ut praecursoris precibus
Jungamur in coelestibus.

Brev. ms. S. Mariae de Duna saec. 13/14. Cod. Semin. Brugen. 184 (54).

239. In Nativitate s. Johannis B.

Ad Completorium.

1. Jucundare, mater ecclesia,
Nova nobis adsunt solemnia,
Gabrielis fatu mirifica,
Veneranda orbis per climata.

2. Elisabeth en parit filium,
Praecursorem, vatem et angelum
Ac majorem natis mortalium,
Mundo missum a summo numinum.

3. Adhuc clausus alludit puero,
Quem Maria gestat in utero,
Salutato praedulci socio
Inardescit jucundo jubilo.

4. Sic regali pollens prosapia
Decus vatum, laudum materia,
Mundum spernit factus hermicola,
Inflammatus divina gratia.

5. Es lucerna mundi et gaudium,
Splendor patrum, vatum silentium,
Dux justorum vitaeque speculum
Ac signifer sanctorum omnium.

6. Sit laus patri, nato, paraclito,
Trinitati carenti termino,
Ac baptistae pio suffragio
Collocemur polorum atrio.

Brev. ms. S. Mariae de Duna saec. 13/14. Cod. Semin. Brugen. 184 (54).

240. In Decollatione s. Johannis B.

Ad Tertiam.

1. O stupenda baptistae sanctitas,
Quem honorat ipsa divinitas,
Cui tota monstratur trinitas,
Non est illi nec erit paritas.

2. Is lucifer, solaris radius,
Trinitatis testis et medicus,
Paranymphus sponsi ac socius,
Summi regis amicus intimus.

3. Rubet tantus cruore roseo,
Proh dolor, jam caput cum gladio
Trucidatur, fertur convivio,
Saltatrici datur pro praemio.

4. O baptista, vates eximie,
Quem coelestes laudant excubiae,
Jam sanctorum splendes in acie,
Per te locus nobis sit veniae.

5. O lucifer, finis moestitiae,
O jucundum jubar laetitiae,
Famulantum valle miseriae
Odas, voces precesque suscipe.

6. Sit laus nato, patri, paraclito,
Trinitati carenti termino,
Ac baptistae pio suffragio
Collocemur coelorum atrio.

Brev. ms. S. Mariae de Duna saec. 13/14. Cod. Semin. Brugen. 184 (54). — Vor Str. 1 befindet sich eine Srophe von abweichendem Versmafs, die ich deshalb als vermutlich unecht nicht in den Text aufnahm; sie lautet:

Salve, vates eximie,
Johannes, Dei gratia,
Felix felici nomine
Divina clementia.

241. In Decollatione s. Johannis B.

Ad Completorium.

1. Stupet ordo et ratio,
Dignus omni praeconio
Quod decollatur capite
Johannes, major homine.

2. Quem praeclara nativitas
Et vitae ornat sanctitas,
Nobilitant miracula
Et signa praeclarissima.

3. Hic prophetarum signifer,
Quem nuntiavit Gabriel,
Hic ut sol in meridie
Splendet sanctorum acie.

4. Extollitur prae ceteris
Hic, cujus nullus similis,
Quem honorat divinitas,
Cui se monstrat trinitas.

5. Hic dignetur suscipere
Laudes nostras, ut vivere
Possimus sine termino
In sanctorum consortio.

6. Deo sit laus et gloria
Per infinita saecula,
Qui praecursoris precibus
Nos jungat coeli civibus.

Brev. ms. S. Mariae de Duna saec. 13/14. Cod. Semin. Brugen. 184 (54).

242. In Decollatione s. Johannis B.

1. Baptista nobis hodie
Diem offert laetitiae,
Qua ejus decollatio
Recolitur et passio.

2. Baptistae quanta dignitas
Sit, refert ipsa veritas,
Quem multum honorificat
Et plus magnis magnificat.

3. Baptistae juste nuptias
Detestanti nefarias
Herodes et Herodias
Mortis tendunt insidias.

4. Baptistam dum persequitur,
Herodes vivens moritur,
Baptistaque consequitur
Vitam, dum morti traditur.

5. Baptista nobis annue,
Ut docuisti vivere,
Et minus doctos instrue
Nos ut vicisti vincere.

6. Baptista duce praevio
Declinemus ab invio
Tenentes vitae semitas,
Hoc praestet sancta trinitas.

Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503.

243. De s. Johanne Evangelista.

Ad Vesperas.

1. Magnus Johannes emicat,
Quem vera lux illuminat,
Vino salutis ebriat
Amoris implens gratia.

2. Qua praepotens apostolus
Verbi refulsit profluus,
Ructans Dei magnalia
Christi retexit abdita.

3. Virtute pollens gratiae,
Christi recumbens pectore
Verbi fluenta hauserat,
Divina pandens carmina.

4. Coeli petens fastigia
Dignus pudoris vernula
Prae ceteris mortalibus
Deum tuetur altius.

5. Tanto perunctus chrismate
Mundum replevit dogmate,
Monens caduca spernere,
Aeterna concupiscere.

6. Hujus Deus nos annuat
Sequi benignus dogmata,
Quo supplicante sedulo
Christi fruamur gloria.

7. Sit trinitati gloria,
Virtus, honor, potentia.
Cujus Johannes gratia
Magnus viget per saecula.

Brev. ms. Hispanicum saec. 11/12. Cod. Londinen. Add. 30849. A. — Hymn. ms. S. Vitoni saec. 15. Cod. Virdunen. 141. B. — Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. C. — 1, 4 implet C. — 2, 1 Quam praepotens A. — Str. 3 fehlt A. — 6, 1 Cujus Deus C. — 6, 2 dogmate A. — 6, 3 sedula A. — 7, 2 Honor virtus C, honor decus B.

244. De s. Johanne Evangelista.

Ad Nocturnum.

1. Iste cunctorum flos apostolorum,
Domino gratus, Johannes vocatus,
Hodie laeta meruit secreta
Scandere coeli.

2. Hic est symmista et evangelista,
Tonitrus splendens, aquila transcendens,
Qui capit forte, nec dolent in morte
Corporis artus.

3. Ad sacra jussa cujus mox concussa
Membra defuncta vitae sunt conjuncta,
Morbo gravati priscae sanitati
Restituuntur.

4. Unde nunc laetus noster iste coetus
Mente devota hymnos atque vota
Pariter solvat laudesque revolvat
Omne per aevum.

5. Sit salus Deo et nobis in eo,
Per quem fit salus poenitetque malus,
Qui coelum fundat solumque fecundat,
Trinus et unus.

Brev. S. Barnardi in Romanis imp. in Romanis 1518.

245. De s. Johanne Evangelista.

Ad Laudes.

1. Ave stellae maris,
Custos singularis,
In qua est absorpta
Mors mortisque porta.

2. Sumens non in vanum
Divinum arcanum,
In te nulla saevae
Damna sentis Evae.

3. Solve involutos,
Liga dissolutos,
Ingratis ignosce,
Bona cunctis posce.

4. Monstra te electum
Christi praedilectum,
Fiat per te suus
Chorus iste tuus.

5. Virgo pretiose,
Cunctis gratiose,
Servos tuos pastos
Redde Deo castos.

6. Vitam praestet puram
Viamque securam,
Ut hic liberemur
Tecumque laetemur.

7. Sit laus trinitati,
Simul unitati,
Uni trinum munus,
Tribus honor unus.

Brev. S. Barnardi in Romanis imp. in Romanis 1518.

246. De s. Johanne Evangelista.

Ad Primam.

1. Ave, pie Christe,
Qui evangelistae
Johannis es lumen,
Doctor, carmen, numen.

2. Virgo et electus
Hausit praedilectus
Supra Christi pectus
Fontem intellectus.

3. Per cujus acumen
Videns trinum numen
Vitae spargit lumen,
Paradisi flumen.

4. Fervens mitigavit
Vas, virus potavit,
Virgas immutavit
Stratos suscitavit.

5. Sit laus trinitati,
Simul unitati,
Uni trinum munus,
Tribus honor unus.

Brev. S. Barnardi in Romanis imp. in Romanis 1518.

247. De s. Johanne Evangelista.

Ad Tertiam.

1. Veni, creator spiritus,
Et per Johannis merita
Nobis missus divinitus
Mentes nostras inhabita.

2. Qui diceris paraclitus,
Perlustra nos, lux inclita,
Qua Johannes, vir inclitus,
Coeli vidit abscondita.

3. Accende nos medullitus
Amoris flamma subita,
Qua Christi cari penitus
Arserunt cordis abdita.

4. Per te sciamus, da, patrem
Et te spiritum pariter
Et hunc, qui moriens matrem
Johanni dedit dulciter.

Brev. S. Barnardi in Romanis imp. in Romanis 1518.

248. De s. Johanne Evangelista.

Ad Sextam.

1. Accende, sancte spiritus,
Nos tui flamma subita,
Qua Johannis medullitus
Cordis arserunt abdita.

2. Tu septiformis munere,
Hoc vas tibi tu dedicas,
A quo mundo das bibere
Potiones mirificas.

3. Hostem repellas longius
Dilecti tui precibus,
Da veniam propitius
Et pacem nostris mentibus.

4. Per te sciamus, da, patrem,
Et te spiritum pariter
Et hunc, qui moriens matrem
Johanni dedit dulciter.

Brev. S. Barnardi in Romanis imp. in Romanis 1518.

249. De s. Johanne Evangelista.

Ad Nonam.

1. Evangelistae, coeli citharistae,
Legis legistae novae tuae, Christe,
Gratiae cistae, fulget dies iste,
Johannis boni.

2. Gemmis ornatum vas fuit mirandum,
Ad illustrandum jubar mundo datum,
Lilium gratum, castis imitandum
Aquila throni.

3. Secreta caeli carmine fideli
Visa dictavit, scripta promulgavit,
Multis figuris facta cum futuris
Clausa signavit.

4. Cujus rogatu purga miserando
Nos a reatu gratiam praestando,
Deus, servando nos et consummando
In bono statu.

Brev. S. Barnardi in Romanis imp. in Romanis 1518.

250. In s. Johannis ante Portam.

Ad Vesperas.

1. Fidelis custos virginis,
Dei matris et hominis,
Quem moriens crudeliter
Tibi dedit fideliter.

2. Diligenter custodiens
Honoris reverentia,
Sibi praestans obsequia,
Ei devote serviens.

3. Supra pectus dominicum
Recubuisti dormiens,
Bibens fontem mirificum,
Fontis fluenta capiens.

4. Drusianam resuscitans
Reversus ab exsilio,
Domum ejus inhabitans
Dato tibi convivio.

5. Deo patri potentia,
Filio sapientia,
Flamini sancto bonitas,
Tribus est una deitas.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

251. In s. Johannis ante Portam.

Ad Nocturnum.

1. Agite, chori modulantis cleri,
Laudes ad coelos mittite Johanni.

2. Moribus castis decenter ornatus
A Christo, cujus amplius amatus.

3. Exsiliatus Johannes dum redit,
Occurrit illi populorum turba.

4. Cujus adventu diu fatigata
Mortua fertur nobilis matrona.

5. Virginis jussu Drusiana surgit,
Ipsum convivam receptura vadit.

6. Laus patri summo pariterque nato
Paraclitoque sancto sit per saecla.

Brev. ms. Arelatense saec. 14. Cod. Parisien. 1285. A. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552) B. — Str. 1, 2 und 6 Ad Vesp. et Noct., 3, 4, 5 und 6 ad Laudes. A. — 6, 2 stat per saecla B.

252. In s. Johannis ante Portam.

Ad Laudes.

1. Praerogativa gratia
Dilecte prae discipulis,
Largire patrocinia
Tuis devotis famulis.

2. Gemmas fractas incredulis
Redintegrasti populis,
Hausto veneni poculo
Facto crucis signaculo.

3. Intromissus in dolio
Pleno ferventis olei,
Pro firmitate fidei
Cares doloris taedio.

4. O Johannes apostole,
Te deprecamur, recole
In tuo patrocinio,
Coeli fruamur gaudio.

5. Deo patri et filio
Sit laus inindividua,
Sancto flamini tertio
Decus, virtus, perpetua.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). — 1, 2 dilecti. — 3, 4 Caret. — 5, 2 individua.

253. De sancto Joseph.

Ad Vesperas.

1. Ave, felix altor
Panis angelorum,
Joseph virgo, sponse
Reginae coelorum.

2. Sumis tuam sponsam
Magno cum tremore,
Quam praecognovisti
Matrem Christi fore.

3. Solvens offers Deo
Deum, jura legis,
Fers, alis, cum ipso
In Aegyptum fugis.

4. Monstras te esse patrem
Paternali cura,
Dum pro nata prole
Tanta suffers dura.

5. Solvis jura carnis
Plenus Dei dono,
Hinc gaudes in coelis
Fruens summo bono.

6. Virgo singularis,
Justus vocitaris,
Nos labe pollutos
Justos fac et castos.

7. Vitam praesta puram,
Iter para tutum,
Quem tu nutrivisti,
Dominus virtutum.

8. Sit laus trinitati,
Salus atque virtus,
Compar unitati
Honor, laus et decus.

Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Parisien. 13244. A. — Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520. B. — 2, 1 Sumens A. — Str. 3 fehlt A. — 4, 2 Parentali cura A. — 4, 3 Dum alendo prolem B. — 4, 4 Fers cum matre dura B. — Str. 4 fehlt B. — 5, 2 Clemens pie dulcis B. — 5, 3 Nos culpis solutos B. — 5, 4 Mites fac et castos B. — 6, 3 Nobis adfuturum B. — 6, 4 Meritis virtutum B. — 7, 1 sqq. Sit laus Deo patri etc. B.

254. De sancto Joseph.

Ad Laudes.

1. O gloriose Domini
Sponse matris altissimi,
Quem totus orbis non capit,
In tuis ulnis jacuit.

2. Cui tota coeli curia
Famulatur per saecula,
Hic infans factus parvulus
Tibi subest humilimus.

3. Beate patris munere
Sacro ditatus coelitus,
Qui angelorum pabulum
Nutrivisti humanitus.

4. Joseph, nutritor gloriae
In hac valle miseriae,
Fac nos per tua merita
Saturari in patria.

5. Sit laus patri cum filio
Ex tua sponsa genito
Sanctoque cum spiramine
In sempiterno tempore.

Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Parisien. 12344.

255. De sancto Joseph.

Ad Laudes.

1. O gloriose Domini
Sponse matris altissimi,
Quem totus orbis non capit,
In tuis ulnis jacuit.

2. Quod Eva tristis abstulit
Prole Maria reddidit,
Cujus pudoris custos es,
Testis. Christi nutritor es.

3. Tu regis regem gloriae
Ejus putaris genitor,
Qui cum patre et flamine
Est coeli terrae conditor.

4. Panis altor angelici,
Corde precamur supplici,
Tuo gustemus merito
Sursum hunc sine termino.

5. Gloria tibi, Domine.

Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis. 1520. — 3, 3 parente. — Das Lied ist eine Bearbeitung des vorigen.

256. De sancta Julia.

Ad Vesperas.

1. Inclitae laudes canimus, redemptor,
Virginis, cujus redeuntis anni
Monstrat optatum celebrare festum
Una dierum.

2. Haec tibi semper studuit placere
Corde mundato, manibus benignis,
Ut poli sedem mereretur a te,
Vita salusque.

3. Sanguinem fundens proprium rosarum
Instar ardentis violaeque virgo
Sacra complevit geminum decorem
Corde beato.

4. Hujus oramus precibus remitti,
Quidquid ex nobis trahimus reatus,
Culpa ne nostri dominetur atrox,
Rex pie Christe.

5. Laus, honor patri Dominoque Christo,
Spiritus sanctus copuletur illis
Compar et consors, benedicta uni
Gloria regi.

Brev. ms. Jotrense. saec. 13. Cod. Parisien. 750.

257. De sancto Juliano.

Ad Vesperas.

1. Deus, tuorum militum
Virtus, salus ac praemium,
Qui dimicantes fortiter
Pro te pie remuneras

2. Ut Julianum, martyrem
Ac militem fortissimum,
Tormenta qui pro nomine
Tuo libenter sustulit.

3. Hic oriundus exstitit
In urbe Viennensium,
Sed pagus hunc Arvernicus
Transmisit ad coelestia.

4. Cujus caput cum perfidus
Auferre vellet carnifex,
Praecepit, ut extenderet
Collum, quod egit mox libens.

5. Qui cum paratus sisteret
Velut bidens mitissimus,
Percussus ense corruit
Et reddidit sic spiritum.

6. Brivate locus inclitus
Habetur in Arvernico,
Ubi peracta passio
Haec est beati martyris.

7. Cujus sepulchrum sedulo
Fratrum frequentant cunei,
Qui digna certo tempore
Deo canunt praeconia.

8. Hujus precatu martyris
Tu, Christe, rex piissime,
Et nos misertus adspice
Et confer indulgentiam.

9. Praesta. pater piissime.

Brev. ms. Brivatense saec. 13. Cod. Parisien. 1287. A. — Brev. ms. Viennense saec. 14. Cod. Parisien. 1285 B. — Offic. ms. S. Juliani saec. 16. Cod. Remens. 191. C. — Str. 6, 7 und 8 fehlen B.

258. De sancto Juliano.

Ad Nocturnum.

1. Prome festum, plebs benigna,
carminum concentibus,
Solve votum, funde quaestus,
pande cordis intimum,
Hic tibi patronus exstat
Julianus inclitus.

2. Hoc favente cunctis Christus
donat obsequentibus,
Sanguinem pro quo beatum
fudit imperterritus,
Lauream coelo reportans
emicantem florihus.

3. Hic Viennae Fereoli
martyris consortio
Dum revinctus commaneret,
instat exsecutio,
Quae caveri dum putantur,
dividuntur illico.

4. Quod Dei virtute gestum
corde fixo credimus,
Ut, quia nitet Vienna
Fereoli gratia,
Esset haec tutela nobis
hoc juvante congrua.

5. Ferret unus praecavendi
dum latebram martyri,
Persecutorum catervae
semet ultro dedidit,
Mox caput Deo dicatum
mucro saevus abstulit.

6. Sacrum corpus pretioso
vertice relinquitur,
Quod Viennae ceterorum
prae timore deferunt,
Ac deinde Fereoli
consepultum jungitur.

7. At senes duo veterni,
destituti viribus,
Membra sancta dum sepulcro
conderent attentius,
Pristinas vires retentant,
convalescunt artubus.

8. Clausa caecis hinc patescunt
dante Christo lumina,
Voce mutus ora pandit,
lepra carnem deserit,
Languor omnis hinc recedit
et medelam provehit.

9. Hinc tua, Deus, tremenda
dona obsecrantibus,
Parce lapsis, tolle morbos
et relaxa debita,
Ut tuas laudes sonoro
concinamus jubilo.

10. Gloriam patri melodis
personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
gloriam paraclito,
Paradiso redde tuo
nos sola clementia.

Brev. ms. Brivatense saec. 13. Cod. Parisien. 1287. A. — Brev. ms. Brivatense saec. 15. (Privatbesitz.) B. — 4, 5 Esses hoc A. — 4, 6 hunc juvante A. — 5, 1 Fervet iras praecavendi A. — 7, 1 Et senes duo B.

259. De sancto Juliano.

Ad Laudes.

1. Juliani sanctissimi
Solemnem diem colimus,
Qua Domino gratissimus
Coeli junctus est civibus.

2. Athleta praestantissimus
Aetate primum tenera
Calcata mundi copia
Dei repletur gratia.

3. Serpentis virus lubrici,
Quo primus plaustus periit,
Nacta baptismi gratia
Nisu toto perobruit.

4. Virtutum micans radiis
Ac rutilanti jubare
Lata per orbis spatia
Sacro fragravit nectare.

5. Hostes funestos radians
Hic defunctus obtinuit
Et sacro caesus capite
Mortem felicem subiit.

6. Ad te, martyr sanctissime,
Voces ac vota vertimus,
Adesto supplicantibus
Tuis beatis precibus.

7. Mores auferto noxios,
Muta, quod male viximus,
Peracto mundi schemate
Esse dans in coelestibus.

8. Qua regnat potentissimus
Orbis ac noster Dominus
Una cum sancto spiritu
Et neumate paraclito.

Brev. ms. Brivatense saec. 13. Cod. Parisien. 1287. A. — Brev. ms. Brivatense saec. 15 (Privatbesitz). B. — Brev. ms. Viennense saec. 14. Cod. Parisien. 1285. C. — 4, 2 rutilante C, rutervanti A. — 7, 3 Peracta A.

260. De sancto Juliano.

Ad Vesperas.

1. Juliani celebremus
Pleno festa gaudio,
Juliano jubilemus,
Cujus patrocinio
Angelorum postulemus
Conjungi consortio.

2. Fide firmus Julianus,
Romanus origine,
Sacro per Clementis manus
Insignitus ordine,
Christum canit Christianus
Non fractus formidine.

3. Caenomannis introductus
Christum praesul praedicat,
Confutatur princeps luctus,
Gentes Deo dedicat,
Fidem plantat, cujus fructus
Animas vivificat.

4. Florem, quem stirps gessit Jesse
Pandit invisibilem,
Serit, replet multa messe
Terram prius sterilem,
Verum docet unum esse
Deum invisibilem.

5. Ejus prece fontem fundit
Tellus tacta baculo,
Fama volat, rem diffundit,
Stupor fit in populo,
Se lux ultra non abscondit
Lucens in propatulo.

6. Ad hunc tota multitudo
Languidorum confluit,
Omnis cedit aegritudo,
Morbum omnem destruit,
Tanta Dei magnitudo
Servum suum compluit.

7. O quam clemens et quam bonus,
Simplex Deus trinitas,
A quo missus hic patronus,
Ut clareret veritas,
Cujus nos direxit sonus
In virtutis semitas.

Psalt. ms. Andegavense saec. 14. Cod. Andegaven. 105. A. — Psalt. ms. Andegavense saec. 14. Cod. Andegaven. 106. B. — Mel.: Pange lingua. — Nach Str. 7 Sit ergo; wohl spätere Zuthat, da 7, 1 sq. schon eine Doxologie enthält.

261. De santo Juliano.

Ad Matutinum.

1. Pange, lingua, gloriosi
Praesulis praeconium,
Sed praemittat pretiosi
Sol splendoris radium,
Ne subintres carcerosi
Callis diversorium.

2. Julianus dum paulatim
Fidem firmat opere,
Ruunt omnes catervatim
Tanta signa cernere,
Laborantes Dei statim
Convalescunt munere.

3. Quibus erat induratum
Cor errore veteri,
Pravitatis suae statum
Spreverunt innumeri,
Jam ad orbis incolatum
Suspirantes superi.

4. Mortem nati dum deplorat
Quidam cum gemitibus,
Opem Dei dum implorat,
Juliani pedibus
Provolutus, praesul orat
Ita flexis genibus:

5. Ut plebs tua spe levetur,
Accingatur robore,
Et lux tua declaretur
Tempestatis tempore,
Tepor omnis transportetur
Ab istius corpore.

6. Ad haec verba reparatur
Sospes patris filius,
Roboratus baptizatur
Pater Anastasius
Et praeconi foederatur
Factus fide socius.

7. Et nos ergo, qui jacemus
Sub mundi miseria,
Julianum exoremus,
Ejus per suffragia
Tota mente suspiremus
Ad coeli palatia.

Psalt. ms. Andegavense saec. 14. Cod. Andegaven. 105. A. — Psalt. ms. Andegavense saec. 14. Cod. Andegaven. 106. B. — Mel: Pange lingua.

262. De sancto Juliano.

Ad Laudes.

1. Mens, in laudes exi regis
Regionis coelicae,
Pange Christum hujus gregis,
Prius tamen respice,
Si quid intus sordis legis
Clauso cordis codice.

2. Dum diurno de labore
Percepturus bravium
Vocaretur ab auctore
Pius pastor ovium,
Adsignato successore
Coeli subit solium.

3. Et, quem Christus praedilexit
Quodam privilegio,
Arce coeli jam provexit
Ac patris palatio,
Cujus in occursum exit
Angelorum legio.

4. Quem orbarat se praesente,
Suum pater populum
Visitavit hic repente
Grande per miraculum,
Cum in aqua bulliente
Salvavit infantulum.

5. O mirandae caritatis
Virum plenum gratia,
Qui languore degravatis
Ac mentis ignavia
Suae largae pietatis
Praebet beneficia.

6. Ergo tantus invocetur
Piis pater precibus,
Christum pastor deprecetur
Pro relictis ovibus,
Et laetari nobis detur
Cum supernis civibus.

7. Sit ergo laus tibi, Christe,
Honor, virtus, gloria,
Per quem vicit praesul iste
Felici militia,
Dum rependis agonistae
Salutis stipendia.

Psalt. ms. Andegavense saec. 14. Cod. Andegaven. 105. A. — Psalt. ms. Andegavense saec. 14. Cod. Andegaven. 106. B. — Mel: Pange lingua.

263. De sancto Juliano.

Ad Vesperas.

1. Ut queant laxis sonis Deo gratis
Pandere laudes, tuis, Juliane,
Remitti noxas, gratiam infundi,
Sancte, procures.

2. Fons vivax, fontem mire produxisti,
Fessis per aquas oneroso gestu,
Quo viso turbas alliceres jugum
Tollere Christi.

3. O martyr voto, Iovis in fano
Draconem fugas hostium adspectu,
Quem adustice perdere quaerentes
Apud Artinas.

4. Genitor caste, protector et salus
Sis filiorum, confer contra hostes,
Qui, quod vis, potes ante Dei thronum,
Meritis alme.

5. Proficiscentum director et hospes,
Nos amatores ora hospitare
Jesum et ejus hospitari tandem
Atriis sanctis.

6. Sit coelis Christo gloria perennis,
In nobis ritus lausque Deo placens,
Qui tecum ducti te ductore simus
Post vitae cursum.

Psalt. ms. S. Vincentii Cenomannen. saec. 15. Cod. Cenomannen. 134. — 1. 3 noxa. — 2, 2 Fesis per aqua. — 2, 3 aliceres verum. — 2, 4 Christum. — 3, 1 iouis in fatu. — 3, 2 Draconis fuga. — 3, 4 Quod adustice. — 3, 4 Apud arcanas; vgl. zu dieser Str. Acta SS. Jan. III, 380 n. 20 sq. — 6, 3 sumus. — Dieser wie der folgende Hymnus sind Muster einer barbarischen ars poetica; leider sind sie obendrein noch so schlecht überliefert, dafs man am Texte verzweifeln mufs.

264. De sancto Juliano.

Ad Laudes.

1. Gloriosum Julianum
Laudibus veridicis
Collaudemus, decoratum
Artibus mirificis,
Hinc hodie laureatum
Sedibus in coelicis.

2. Victum artum, nudam vestem
Ad carnem cilicium,
Genu flexo fletu crebri
Et pauper tugurium
Observabat pastor vigil
In salutem omnium.

3. Sic amore deitatis
ratus erat pontifex,
Dilector fit et dilectus
et fit verus artifex,
Tribus viris morti datis
vitam dedit opifex.

4. O dignatus praesularis,
necdum in praesentia,
Facultate singularis
potens in absentia,
Ejus missa sub cor manu
curabat daemonia.

5. Legis Christi defensori
defensor rex paruit
Baptizatus, unde sancti
fama viri crebuit,
Cedit error, surgit amor
Christi, qui sic voluit.

6. Infinitae trinitati
decus sit deificae,
Quod ad electum amorem
plebis Cenomannicae
Talem misit instructorem
fidei catholicae.

Psalt. ms. S. Vincentii Cenomannen. saec. 15. Cod. Cenomannen. 134. — 1, 2 vereditis. — 1, 3 Eo laudemus. — 1. 4 Auribus murificis. — 2, 1 Victum aut. — 2, 3 flectu crebri. — 3, 2 reatus erat. — 3, 5 dati. — 4, 3 Facultas. — 4, 5 Ejus misso suscormano. — 5, 2 rex paravit. — 6, 1 trinitatis. — 6, 3 ebectum.

265. De sancto Juliano.

Ad Laudes.

1. Deus, nostrum refugium,
Sanctorum virtus omnium,
Ob Juliani merita
Dimitte nostra crimina.

2. Hic sacer vivens corpore
Virtutum fulsit jubare,
Claustris ereptos Erebi
Tres functos vitae reddidit.

3. Nos, Christe, lapsos erige
Tuo redemptos sanguine,
Hujus obtentu praesulis,
Quem sic ornasti meritis.

4. Cordis purgentur intima,
Vocis mundentur organa
Manusque nostrae peragant,
Quae tibi digne placeant.

5. Gressusque nostros dirige
In viam pacis, Domine,
Aures et visus remove
A vanitatis onere.

6. Adsistat pudicitia,
Sint procul et phantasmata,
Hostis pellatur improbus
Sis noster mansor sedulus.

7. Sic ergo, sacer pontifex
Et gregis pastor optime,
Impetra nobis veniam
Et sanitatem congruam.

8. Sit trinitati gloria
Per infinita saecula,
Deo patri cum filio
Et spiritu paraclito.

Brev. ms. S. Petri de Cultura saec. 13. Cod. Cenomannen. 188.

266. De ss. Justo et Pastore.

Ad Vesperas.

1. In Complutensi cardine
Sub Daciani turbine
Justus et Pastor bravium
Ceperunt per martyrium.

2. Isti duo juvenculi,
Vexilli Christi geruli,
Pectus armarunt proprium
Ad saevientis gladium.

3. Vix adhuc patrem noverant,
Et Deum nosse properant,
Stantes aetate labili
In praelio laudabili.

4. Quis crederet infantiam
Nisi per Dei gratiam
Tantum ferre supplicium,
Tantum mereri praemium.

5. Alter hortatur alterum
Dicens: hoc caput tenerum
Non pertimescat efferos
Ictus tendens ad superos.

6. Vulnus non timent asperum
Vulgus linquentes ceterum,
Hostis contemnunt cuneos
Deos spernentes aeneos.

7. Mira Dei potentia,
Senescit pueritia,
Et, quod fortes effugiunt,
Adolescentes cupiunt.

8. Gloria coeli Domino
Et ejus unigenito
Cum spiritu paraclito
Et nunc et sine termino.

Brev. Narbonense imp. Carcassonae 1535. — Enthält den Hymnus an zwei Stellen. — 3, 4 praedio zweimal.

267. De ss. Justo et Pastore.

Ad Laudes.

1. Hymnum novae laetitiae
Psallat coetus fidelium,
Nam duos fratres hodie
Colit chorus coelestium.

2. Insignes Christi martyres,
Justus et Pastor incliti,
Effecti Christi caelibes
Coram Deo sunt positi.

3. Carnem, mundum et daemones
Vicerunt hi infantuli,
Juvenes fortes tirones
Calcarunt fraudes saeculi.

4. Isti duo candelabra,
Qui lucent ante Dominum,
Salutem procurantia
Et veniam peccaminum.

5. Gaude, Narbona civitas,
Tantis fulta pastoribus,
Quibus jugis solemnitas
Accrescat coeli civibus.

6. Gaude, chorus coelestium,
Pro sanctorum laetitia,
Laetatur hoc collegium,
Tota gaudet ecclesia.

7. Uni trinoque Domino
Sit laus et benedictio,
Quo sanctorum suffragio
Fruamur coeli solio.

Brev. Narbonense imp. Carcassone 1535. — An zwei Stellen. — 2, 3 Effecti fehlt an erster Stelle.

268. De sancto Justo.

1. Hymnum Deo personemus
Vocum cum laetitia,
Mente quoque rogitemus
Ejus beneficia,
Ut, quod jubet, observemus
Actuum justitia.

2. Sanctus Justus, martyr Dei,
Servat haec memoria,
Deo servit mente spei
Spreta mundi gloria,
Deus ergo reddit ei
Pacem pro victoria.

3. Amans Jesum mente tota
Justus ab infantia
Vota solvit et devota
Precum abundantia
Deo placet et immota
Ejusque constantia.

4. Deus igitur reddebat
Ei mirabilia,
Nam futura praedicebat,
Postponebat vilia,
Bene agens reducebat
Captum ad aedilia.

5. Quem vivendo praeamavit
Lege apostolica,
Moriendo non negavit
Respuens idolica,
Hunc gens fera decollavit
Pro fide catholica.

6. Caput matri praesentatur
Humo carne reddita,
Lux in nocte videbatur
Urbi toti prodita,
Caput templo dum feratur,
Caeco lux est tradita.

7. Idem caput nunc habetur
Magna reverentia
Treveris, sed obtinetur
Corpus diligentia
In Zutphania, laudetur
Hinc Dei clementia.

8. Sit laus ergo trinitati,
Unitati gloria
Patris, pneumatis et nati,
Virtus et victoria,
Sit ejus humanitati
Vigilans memoria.

Brev. ms. Zutphaniense saec. 15. Cod. Bollandian. s. n. — 1, 3 Menteque. — 2, 2 Serva. — 3, 1 tota mente. — 8, 2 Unitatis.

269. De sancta Katharina.

1. Adest dies laetitiae,
Omni plena dulcedine,
Qua virginis Katharinae
Festa digne celebramus
Atque laudes decantamus
Ejus dulci nomine.

2. Haec Costi regis filia
Ab urbe Alexandria,
Graeciae gemma fulgida,
Mundi contemnens gaudia
Saecli devicit fortia,
Mente quaerens coelestia.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE

3. Haec clara fuit genere,
Sed clarior virtutibus,
Proles regis et reginae,
Comesque fit martyribus,
Dum caro carens carie
Caeditur scorpionibus.

4. Dum tenetur in carcere,
Reginam et Porphyrium
Docet ad vitam currere
Cursus promittens bravium,
Sternit rotarum machinam
Dolorque fit gentilium.

5. Vilipendens conjugium
Mox Caesaris Maxentii
Spondentis fugit munera,
Minas spernit nequissimi
Et voluntate libera
Agonem fert martyrii.

6. Dum collum ferit niveum
Percussoris improbitas,
Stillat liquorem lacteum,
Quo signatur virginitas
Atque per omne saeculum
Probatur ejus dignitas.

7. O rosa coeli rutilans,
Mira fraglans dulcedine,
Fer opem tuis famulis
Clerumque tuum dirige,
Aperi peccatoribus
Sinum misericordiae.

8. Ave, decus virgineum,
Sanctarum decus virginum,
Ave, lumen sidereum,
Lucis non habens terminum,
Virginitatis lilium,
Totius mundi speculum.

9. Patri, nato, paraclito
Sit perpes jubilatio,
Qui sublimavit inclito
Katharinam martyrio,
Prece cujus haec concio
Jungatur Dei filio.

Antiph. ms. Villariense saec. 13. Cod. Bruxellen. 268. — Nach Str. 4 Divisio. — 3, 3 regina Hs.

270. De sancta Katharina.

1. Ave, sponsa Christi,
Virgo Katharina,
Regis, cui servisti,
Felix contriclina.

2. Martyr gloriosa,
Castitate grata,
Lilio vel rosa
Mire venustata.

3. Felix agonista
Servos tuos audi,
Quod adjungit ista
Dies tuae laudi.

4. Tua creatori
Vox in aure sonet,
Ut post praesens mori
Veram vitam donet.

5. Dirige nos sursum
Prece Katharinae,
Christe, post hunc cursum
Beans sancto fine.

6. Patri laus et nato,
Decus et potestas,
Flamini beato
Quoque par majestas.

Brev. ms. Trevirense saec. 12. Cod. Treviren. 428. add. saec. 13/14.

271. De sancta Landrada.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, gloriosae
Virginis praeconium,
Quae fuit religiosae
Clarum vitae speculum,
Ut post cursum aerumnosae
Coeli poscat bravium.

2. Plena fide, spe, divina
Caritate fervida,
Castitate fulgens bina,
Spargens transitoria,
Hora luxit vespertina
Per virtutum opera.

3. Cibus ejus panis siccus,
Potus aqua frigida,
Terra nuda lectus ejus,
Horret strata mollia,
Etiam dum suffert aestus
Febris carne tenera.

4. Mundum sibi crucifixum
Et se mundo patuit,
Dum et lapidi impressum
Signum crucis exstitit,
Sibi pignus hoc concessum
Vox de coelis exprimit.

5. Paleis dum expurgatur
Haec medulla tritici,
Virus lapisque quadratur
Pressura multiplici,
In coelestis coaptatur
Structura palatii.

6. Melodis nunc Deo patri
Personemus vocibus,
Sit laus, virtus carae proli,
Utriusque spiritus,
Veneretur, qui perenni
Regnat tempore Deus.

Brev. ms. S. Waldetrudis Montensis saec. 15. Cod. Duacen. 164.

272. De sancta Landrada.

Ad Laudes.

1. Gratulemur in honore
Nunc Landradae virginis,
Quae a juventutis flore,
Delicata, nobilis,
Sese strictis pro amore
Christi strinxit regulis.

2. Justa, fortis, mansueta,
Casta, vigil, sobria,
Pia, humilis, discreta,
Silens, solitaria,
Spernens mundum stat quieta,
Contemplans coelestia.

3. Die, noctu meditatur
In mandatis Domini,
Caro sponso famulatur
Semper corde supplici,
Quidquid agit, acceptatur,
Grata trino simplici.

4. Nihil ei cum obscoenis
Corporis deliciis,
Delectatur in amoenis,
Quae praegustat gaudiis,
Quae nunc sapit votis plenis
Turmis juncta coelicis.

5. Laudes trinae deitati
Patri, nato, flamini
Sine fine dant beati
Spiritus angelici
Atque sursum conregnanti
Huic congaudent virgini.

6. Hujus nos felicitatis
Ut consortes faciat,
Regi summae majestatis
Nostras preces offerat,
Suae dono pietatis
Maculas ut deleat.

7. Genitori genitoque.

Brev. ms. S. Waldetrudis saec. 15. Cod. Duacen. 164.

273. De sancto Laurentio.

1. Laetis ecclesia resonet vocibus,
Dignis Laurentius laudetur cantibus,
Qui jam perfruitur donis coelestibus,
Rosis et liliis non marcescentibus.

2. Vir iste nobilis, Hispanus genere,
Antiquum studuit hostem conterere,
De mundi gloria nihil appetere
Totisque viribus aeterna quaerere.

3. Pati desiderat, cum Sixtus patitur,
Certa sibi dies mortis praedicitur,
Pro thesauris eum Caesar aggreditur,
Caecis signo crucis lumen infunditur.

4. Sexies variis poenis affligitur,
In crate ferrea prunis aduritur,
Ut assum commedat, Decio loquitur
Et sic feliciter coelum ingreditur.

5. Urbis extra muros Romae reconditur,
Honore debito locus excolitur,
Ubi divinitus semper impenditur,
Quidquid fideliter digneque petitur.

6. Supplicemus Deo devotis mentibus,
Qui hunc decoravit tantis virtutibus,
Ut suis meritis patrocinantibus
Fruamur gaudiis cum sanctis omnibus.

7. Pater et filius cum sancto flamine
Praeclari martyris pio juvamine
Mundos nos faciat ab omni crimine
Atque conspicuos coelesti lumine.

Cod. Bruxellen. (ol. S. Laurentii Leodien.) 9332—46 saec. 14. — 4, 2 In cratem ferream.

274. De sancto Laurentio.

1. Pange lingua gloriosum
Agonem Laurentii,
Qui non timet furiosum
Tribunal imperii,
Sed dat corpus pretiosum
Ad palmam martyrii.

2. Sanctum palpant blandimentis
Et pulsant tortoribus,
At non labat statu mentis
Minis vel terroribus,
Sed arridet instrumentis
Et prunis ardentibus.

3. Nudum corpus est extensum
Candens crate ferrea,
Spernit ignem hic accensum,
Flamma stridet rosea,
Offert Deo ut incensum
Se pro regni laurea.

4. Trinitatem invocemus
Communi laetitia,
Unum Deum adoremus,
Qui creavit omnia,
Cujus regno conregnemus
In coelesti patria.

Brev. ms. Lexoviense saec. 15. (Privatbesitz). — 1, 1 gloriosi. — 2, 3 Ne labat statu. — 2, 5 Sed ardet instrumentis. — 3, 2 Scandens crate. — 3, 4 Flammea. — 4, 5 cum regnemus.

275. De sancto Leodegario.

Ad Vesperas.

1. Gloriam Deo pangimus,
Fortes agones canimus,
Quos pertulit immanius
Sanctus Leodegarius.

2. Erectis jam luminibus
Ab impiis hominibus,
Lingua praecisa doluit,
Artus loquela floruit.

3. Splendens corona coelitus
Cujus caput irradiat,
Exurit corda comitum
Tacta stupore nimio.

4. Sed amputato capite
Corpus erectum constitit,
Horae unius spatio
Rigore mansit vivido.

5. Hujus patroni precibus
Nos foveamur largius,
Nostrorum vincla criminum
Solvantur in perpetuum.

Brev. ms. Nobiliacense saec. 13. Cod. Burdigalen. 85.

276. De sancto Leodegario.

Ad Laudes.

1. Ex illustri prosapia
Natus, Leodegarius
Laetus fulget in gloria,
Martyr Dei eximius.

2. Linguam, dentes et oculos
Perdit propter justitiam
Mireque docens populos
Non amittit facundiam.

3. Ebroini malignitas
Accensa per saevitiam,
Sancti Dei humilitas,
Per quam tendit ad gloriam.

4. Dicto praefato praesuli
Tanta confertur gratia,
Quod cuncti debent populi
Sibi laudes cum gloria.

5. Sit tibi, sancta trinitas,
Honor, decus perenniter,
Quo tibi laudes debitas
Persolvamus alacriter.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 354 (787).

277. De sancto Leonio.

Ad Vesperas.

1. Exsultet plebs Pictavica
Praesenti in sacra die,
Concinat clerus cantica
Devotus nunc melodiae.

2. Leonii praesens dies,
Quo victo mundo quaeritur
Aeternae vitae requies,
Cum terris coelum graditur.

3. Per syllabas describitur
Leonii proprietas,
Leonius cum dicitur
Fortis patet humilitas.

4. Leo fortis ostenditur,
Nius patet humilitas,
Leonius hinc dicitur,
Forti inest sublimitas.

5. Doctor magnus Hilarius
Evocat hunc Leonium,
Adsis, ait non dubius,
Pergo, pater, ad bravium.

6. Pauper dives egentibus,
Plebis custos egregius
Terris degens, coelestibus
Sanctus regnat Leonius.

7. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Regnemus cum Leonio
Fine cunctorum exito.

Diurn. ms. Pictaviense saec. 16. Cod. Pictavien. 40. — 3, 1 Von dem Worte syllabas ist nur die letzte Silbe (bas) leserlich, die vordern sind weggefault.

278. De sancto Leonio.

Ad Laudes.

1. Pater, kyrie Leoni,
Orans ora, ne labamur,
Coelestis postula doni
Omne fructum, te precamur.

2. Rege plebem, cui patronus
Hilario statuente
Tu fuisti, pastor bonus,
Ore poscimus et mente.

3. Coelum tenes terras spernens,
Terra terit servitores,
Plebs tua dogmata tenens
Tibi persolvit honores.

4. O Leoni, leo, leva
Mersos reatu servulos,
Quos draconis fraus hic saeva,
Decepit, rege famulos.

5. Laesus filius ad patrem
Opem quaerit refugiens,
Filia degens ad matrem,
Plebs ad te currit rediens.

6. O Leoni, caritatis
Ubertim concede fructus
Et opere pietatis
Aeternos exstingue luctus.

7. Lipsana hinc veneremur
Leonii, quae habemus,
Ut cum eo sociemur,
Laudes ejus decantemus.

8. Salus, virtus, laus et honor
Patri sit atque filio,
Spiritui, qui est amor,
Sancto sit jubilatio.

Diurn. ms. Pictaviense saec. 16. Cod. Pictavien. 40. — 4, 3 fraus hinc ferox Hs.

279. De sancto Leufrido.

1. Gaude, sacrata meritis
Leufredi, tellus inclita,
Festa revolvens aurea,
Quis petiit coelestia.

2. Hic nobilis, nobilibus
Progenitus parentibus,
Contemptis pompis saeculi
Vitam suscepit monachi.

3. Qui sanctis pollens actibus,
Virtutum florens floribus
Dedit salutem mentibus,
Sanitatem corporibus.

4. Ignis fugavit rabiem,
Multavit male daemonem,
Resolvit votis barathrum,
Reddidit coelo monachum.

5. Insignis qui virtutibus,
Nullis succumbens sordibus,
Cum precibus sanctissimum
Coelo reddidit spiritum.

6. Nunc te precamur, hagie,
Vota libenter suscipe
Clemensque fer remedium
Levando moles criminum.

7. Audi benignus populos.
Exaudi pius servulos
Et servientes corpori
Absolve vinclis saeculi.

8. Erectis sursum mentibus,
Versis in terram vultibus
In trinitatis nomine
Te adoramus, Kyrie.

Hymn. ms. S. Germani a Pratis saec. 14. Cod. Parisien. 12040. A. — Brev. ms. S. Germani a Pratis saec. 14. Cod. Parisien. 13239. B. — 6, 3 Clemens ferque A.

280. De sancto Livino.

1. Hymnum canamus gloriae
Regi omnis victoriae,
De cujus stillat gratia
Livini magnificentia.

2. Quem in matris visceribus
Sanctus sacravit spiritus
Matris infundens labiis
Haustum divini nectaris.

3. Coelum terris annuntiat,
Quae virtus hunc inhabitat,
Lux super lucem radiat,
De luce dextra promicat.

4. Captis mente libertatem,
Dat nutrici sospitatem,
Stupet mare potestatem
Et plebs sedis dignitatem.

5. Ut Siloë in piscina
In te manet medicina,
Quod testatur languens homo,
Datus sibi tuo dono.

6. Mare tibi famulatur,
Per te nauta prosperatur,
Caecus videt et sanatur,
Qui furore debacchatur.

7. Lingua perit sed non usus,
Hostem terit Deus tuus,
Ut amicum te affatur
Et ad palmam exhortatur.

8. Tuae dies laetitiae
Sit nobis dies gratiae,
Respirent in te servuli,
Sentiant patrem filii.

9. Praesta, pater piissime.

Psalt. ms. S. Bavonis Gandaven. saec. 15. Cod. Gandaven. 73 (16). A. — Brev. ms. S. Waldetrudis saec. 15. Cod. Duacen. 164. B. — Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503. C. — 2, 2 Sancto sacravit B. — Str. 5 sqq. fehlen B; Str. 1—5 ad Vesp.; 5—7 ad Noct.; 7—8 ad Laudes A.

281. De sancto Lubentio.

Ad Vesp. et Noct.

1. O Lubenti, pater alme,
Presbyter eximie,
Quem victricis fructus palmae
Pascit coeli curiae,
Pia vota supplicantis
Suscipe familiae.

2. Baptizatus a beato
Martino pontifice,
Educatus a felice
Maximino praesule,
Cui nunc es sociatus
Cum triumpho gloriae.

3. Tu in terris visiones
positus angelicas
Meruisti, dum vixisti,
cum quibus nunc habitas
Et celeuma debriatus
in excelsis jubilas.

4. De Cubruno per phaselum
Per Mosellam petis Rhenum,
Quo transito per Logenam
Dyckirchen basilicam,
Quem cum clero plebs fidelis
Suscipit cum laudibus.

5. Ubi corpus tumulatur
Et laus Deo decantatur,
Nam coelorum collocatur
spiritus agminibus
Et in terris decoratur
signis et virtutibus.

6. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. s. n. A. — Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Treviren. 172. B. — 4, 4 Quantum clero A; quam cum clero B.

282. De sancto Luthardo.

1. Exsultet aula coelica,
Laetetur mundi machina,
Dum Luthardi solemnia
Solis revolvit orbita.

2. Quem post mundi pericula
Coeli suscepit curia,
Quem cum servis fidelibus
Jam salutavit Dominus.

3. Hinc dulces psalmi resonent,
Hinc lectiones concrepent,
Hinc hymnorum multimoda
Multiplicentur cantica.

4. Conemur totis nisibus,
Jungamus preces precibus,
Quod Luthardi per merita
Coeli fruamur gloria.

5. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Antiph. ms. Calcariense saec. 15. (Privatbesitz).

283. De sancto Macario.

1. Hymnum fideles populi
Canant et plaudant singuli
In laudem beatissimi
Pontificis Macarii.

2. Qui spreta mundi gloria
Christi sequens vestigia
Pro fidei constantia
Dira suffert supplicia.

3. Clausum reducit angelus,
Credit tortor incredulus,
Medelam praebet precibus
Caeco, muto, languentibus.

4. Lepra cedit munditiae
Per te, praesul sanctissime,
Tua declarant merita
Crux sursum splendens lucida.

5. Tuis, precamur, precibus
Christus cum suis civibus
Post praesentem miseriam
Supernam donet patriam.

Psalt. ms. S. Bavonis saec. 15. Cod. Gandaven. 73 (16).

284. De sancto Maglorio.

Ad Vesperas

1. Patris nostri praeconia
Vox una promat omnium,
Quam magna dignum gloria
Dici decet Maglorium.

2. Superna sapientia
Formavit sibi vasculum
Sub coelesti custodia
Regens et docens parvulum.

3. Sacris imbutus literis
Aetatis ab exordio
Sensu praecellit ceteris
Et puritatis studio.

4. Culmen adeptus praesulis
Divini nutus munere
Crebris fulsit miraculis
Fidem confirmans operi.

5. Hinc patri sit ingenito
Et ejus unigenito
Amborumque paraclito
Laus cum honore debito.

Brev. ms. Sammaglorianum saec. 1427. Cod. Mazarin. 346 (767). A. — Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. B.

285. De sancto Maglorio.

Ad Nocturnum.

1. Dulces frequenta modulos,
Deo devota concio,
Et labiorum vitulos
Offer patri Maglorio.

2. Hic tandem solitarius
Jussu coelestis nuntii
Deo vacat licentius
Gregem committens alii.

3. Huic aves obediunt,
Mare marisque copia,
In ejus verbo fugiunt
Lepra, fames, daemonia.

4. Mortis obsistens legibus
Naturam vicit precibus,
In tot et tantis cladibus
Unus et omnis omnibus.

5. Hinc patri sit ingenito.

Brev. ms. Sammaglorianum anni 1427. Cod. Mazarin. 346 (767). A. — Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. B. — 1, 1 frequentat B. — 1, 3 labiorum titulos B. — 2, 1 Hinc tandem A.

286. De sancto Maglorio.

Ad Laudes.

1. Jucundae laudis orbita
Lege recurrit debita,
Lux ipsa docet hominem,
Ut certum servet ordinem.

2. In hac luce Maglorius,
Aeternae lucis filius,
Patre vocante luminum
Choros illustrat virginum.

3. Unum petebat sedulo
Gemens sub carnis vinculo,
Nunc illud habens unicum
Novum frequentat canticum.

4. Mira gessit magnalia,
Quae nostra latent saecula
Nec claudi possunt omnia
Sub brevitatis regula.

5. Hinc patri sit ingenito.

Brev. ms. Sammaglorianum anni 1427. Cod. Mazarin. 346 (767). A. — Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. B. — 1, 1 laudis cubita B. — 1, 3 ipse B. — 1, 4 Ut sanctum servet B. — 4, 1 Multa gessit B. — 4, 2 latent sedula B. — 4, 3 Haec claudi possunt A.

287. De sancta Margaretha.

Ad Vesperas.

1. Ave, gloriosa
Virgo Margaretha,
Pulchra coeli rosa,
Summo bono freta.

2. Stella mirae lucis
Et jubar virtutum,
Hostem signo crucis
Dejicis versutum.

3. Ferrum, faces, ignes
Carcerem, flagella,
Suffers digna dignis
Laudibus puella.

4. Ave, flos honoris,
Virgo pulchra tota,
Rivulis amoris
Et cruoris lota.

5. Vasis versis sursum
Oleum includens
Pergis in occursum
Sponsi virgo prudens.

6. Nobis coeli bona,
Fulgens margarita,
Poscas, in corona
Regis regum sita.

7. Sponso Margarethae
Laus immensa Deo
Pro talis athletae
Nobili trophaeo.

Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Arch. Gandaven. 100. — 3, 1 Ferre facis ignes. — 7, 2 Lux immensa.

288. De sancta Margaretha.

1. Immensae rex potentiae,
Tu mirae fons clementiae,
Qui Margaretham hodie
Vestiti stola gloriae.

2. Haec in aetate tenera
Per saeva plura genera
Poenarum, quas sustinuit,
Victoriam obtinuit.

3. Quae passa sub Olybrio
Praefecto, cum martyrio
Secuta Christum Dominum,
Evasit manus hominum.

4. Olybrius per Asiam
Transivit Antiochiam,
In via, per quam iverat,
Hanc videns concupiverat.

5. Non esse vult amasia
Praefecti spernens basia,
Ne castitatis flosculum
Per carnis perdat osculum.

6. Cur caesa bis verberibus
Clausaque bis carceribus
In ore tandem gladii
Finivit cursum stadii.

7. Laus patri sit ingenito,
Laus ejus unigenito,
Conformis nostro ritui
Laus sancto sit spiritui.

Brev. Bremense imp. Coloniae 1486. — 4, 3 In viam. — 6, 3 More tandem.

289. De sancta Margaretha.

Ad Laudes.

1. Pange, chorus fidelium,
Margarethae martyrium,
Mundi lucens aërea
Lux ecce surgit aurea.

2. Martyr spretis blanditiis,
Promissis et suppliciis
Te solum colit Dominum,
Jesu, corona virginum.

3. Tandem mortis compendio
Lictoris migrat gladio,
Mundus exsultans jubilat,
Aurora lucis rutilat.

4. Genitori cum filio
Sit laus et exultatio,
Qui vocaris paraclitus,
Adveni, sancte spiritus.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532.

290. De s. Maria Magdalena.

Ad Matutinum.

1. Christe, creator omnium,
Audi preces fidelium,
Quos redemisti sanguine,
Nullo deseras tempore.

2. Laudes, tibi quas canimus,
Suscipe gratis, rex pius,
Nos Magdalenae jugibus
Fovens Mariae precibus.

3. Quae tua dante gratia
Te colens super omnia
Dudum lacrimis gravia
Lavit suis flagitia.

4. Unde precamur cernui
Te, Christe, nunc, fili Dei,
Exemplo nos ut simili
Absolvas reatu jugi.

5. Laus tibi, virtus, gloria,
Regnum perpes, victoria,
Patri cum pneumate sacro
Saeculo sit continuo.

Antiph. ms. Conchacense saec. 10/11. Cod. Parisien. Nouv. acq. 443. add. saec. 12. A. — Brev. ms. Tutelense saec. 11/12. Cod. Parisien. 1256. B. — Brev. ms. Italo-Monast. saec. 13. Cod. Londinen. Add. 15 206. C. — Brev. ms. Arelatense saec. 15. Cod. Parisien. 1284. D. — Brev. ms. Vallis Umbrosae anni 1476. Cod. Oxonien. Miscell. Lat. 168. E. — Brev. ms. S. Dominici in Silos saec. 15. Cod. Parisien. Nouv. acq. 2190. F. — Brev. Illerdense imp. Illerdae 1479. G. — Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. H. — Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. I. — Str. 5 fehlt B. — 5, 3 cum fehlt A.

291. De s. Maria Magdalena.

1. Consonis Christum veneremur odis,
Hunc diem sanctae celebrando festum
Nunc Magdalenae Mariae per orbem
Congratulantes.

2. Quae caput quondam Domini perunxit
Ac pedes lavit lacrimis rigando,
Crine detersit capitis supplexque
Corde gemendo.

3. Unde confestim totius reatus
Contulit Christus veniam peccanti,
Simoni dignum paradigma pandens
Ore benigno.

4. Haec tulit myrrham crepera sub luce
Ad perungendum Dominum sepulchro,
Quem resurgentem meruit beata
Prima videre.

5. Quam procul post haec tribuente Christo
Credimus coeli pennetrasse culmen,
Cujus obtentu miserere nobis,
Conditor orbis.

6. Gloriam patri pariter canamus,
Gloriam proli flamini pioque
Semper in omni resonemus omnes
Tempore saecli.

Brev. ms. Conchacense saec. 10/11. Cod. Parisien. Nouv. acq. 443. add. saec. 12. A. — Brev. ms. Gebennense saec. 13. Cod. Parisien. 16307. B. — Brev. ms. Italo-Monast. saec. 13. Cod. Londinen. Add. 15206. C. — Brev. ms. Cluniacense saec. 14. Cod. Lugdunen. 473. D. — Brev. ms. S. Germani a Pratis saec. 14. Cod. Parisien. 13239. E. — Hymn. ms. S. Germani a Pratis saec. 14. Cod. Parisien. 12040. F. — Brev. ms. Vallis Umbrosae anni 1476. Cod. Oxonien. Miscell. Lat. 168. G. — Brev. Illerdense imp. Illerdae 1479. H. — Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. I. — Brev. Sosmense imp. Parisiis 1548. K. — Brev. Pampilonense imp. Lugduni 1562. L.

1, 2 diem sanctum B. — 1, 3 Nunc fehlt B. — 4, 2 Domini sepulchrum A. — 4, 4 beata fehlt B. — 5, 1 procul hoc est tribuente B. — 6, 2 flaminique pio DF; flamini quoque C; pio fehlt C: flaminique semper D. — 6, 3 omni fehlt F; resonemus omnis A.

292. De s. Maria Magdalena.

1. Psallat immensas chorus omnis odas,
Cum Deo dignae sacra Magdalenae
Laude suprema redeunt colenda
Festa Mariae.

2. Haec pedes Jesu lacrimis rigavit,
Tersit et proni capitis capillis,
Vertici Christi venerando fudit
Haec alabastrum.

3. Exstat haec multum mulier beata,
Quae caput tanti manibus perunxit
Quaeque divinum sitienter hausit
Pectore verbum.

4. Morte surgentem cito prima vidit
Nec locum liquit lacrimans sepulchri,
Donec agnovit radiasse Christum
Pleniter orbi.

5. Lapsibus vitae veniam precare,
O Deo digna pietate cara,
Quo frui tecum mereamur agni
Luce perenni.

6. Gloriam patri resonemus omnes,
Gloriam nato canat omnis ordo,
Flamini sancto pia vox resultet
Omne per aevum.

Brev. ms. Nobiliacense saec. 13. Cod. Burdigalen. 85. A. — Brev. ms. Columbense saec. 13. Cod. Ebroicen. 31. B. — Brev. ms. Cellense saec. 14. Cod. Trecen. 1974. C. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 14. Cod. Bisuntin. 63. D. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Parisien. 10487. E. — Brev. ms. saec. 13. Cod. Parisien. 1255. F. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 69. G. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bibl. Archiep. Remen. s. n. H. — Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. I. — Str. 3 u. 5 fehlen F. — 3, 2 caput regis A. — 4, 4 Leniter orbi A. — 5, 1 Pro lapsis vitae A. — 5, 2 clara A. — 6, 2 Et decus nato canat DEGH. — 6, 4 Temporis aevo DEGH; In F lautet die Doxologie:

Sit Deo nostro decus et potestas,
Sit salus perpes, sit honor perennis,
Qui poli summa residet in arce
Trinus et unus.

293. De s. Maria Magdalena.

In 1. Vesperis.

1. Praenuntiatrix usiae
Eximia deificae,
O Maria Magdalene,
Turmarum melos suscipe.

2. Cum qua viges ac renites
Satrapas sequens caelibes,
Choro nexa virgineo,
Floreo septa bravio.

3 Quo queamus politica
Penetrare palatia,
Christus annuat Dominus
Tuis evictus precibus.

4. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Trino et uno Domino
In saeculorum saecula.

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 11. Cod. Parisien. 775. A. — Brev. ms. Tutelense saec. 11/12. Cod. Parisien. 1256. B. — Brev. ms. Farense saec. 14. Cod. Mazarin. 349 (761). C. — Brev. Cabilonense imp. saec. 15/16. (Einzig bekanntes Exemplar am Schlufs defekt). D. — 3, 4 evictis precibus C; Tuis devotis precibus A. — Nach Str. 3 schiebt C ein:

Nostra purget facinora
Summa Jesu clementia
Per Mariae suffragia
Magdalenae multimoda.

Die Doxologie, die in D fehlt, lautet in B wie zum Hymnus Christe creator omnium (Nr. 290), in C aber wie folgt:

Regi superno gloria,
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

294. De s. Maria Magdalena.

Ad Vesperas.

1. Pie colamus annua
Hujus diei gaudia,
Quam Magdalenae transitus
Ornat Mariae splendidus.

2. Haec enim est, quae lacrimis
Jesu pedes rigans piis
Felix remissam criminum
Per has recepit omnium.

3. Mundum perosa respuens
Christumque solum diligens
Dilectione mutua
Donantur ejus plurima.

4. Fratrem dolet haec mortuum
Quarto die jam Lazarum,
Dono magistri maximo
Vivum recepit denuo.

5. Cujus palam conspectibus
Se contuendum primitus,
Ut jura mortis diruit,
Christus resurgens obtulit.

6. Sit trinitati gloria,
Sit laus, honor, potentia,
Det quae nobis perennibus
Frui Mariae gaudiis.

Brev. ms. Cantuariense saec. 12. Cod. Valentianen. 109. A. — Brev. ms. S. Albani saec. 12. in. Cod. Londinen. Reg. 2 A X. B. — Brev. ms. S. Petri de Cultura saec. 13. Cod. Cenomannen. 188. C. — Brev. ms. Silvanectense saec. 13. Cod. Parisien. 1031. D. — Brev. ms. Troarnense saec. 15. Cod. Parisien. 13242. E. — Brev. ms. Sagiense saec. 15. Cod. Parisien. 1272. F. — Brev. ms. Sagiense saec. 15. Cod. Parisien. 13243. G. — Brev. ms. Abrincense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 29885. H. — Brev. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. IV° 19. I. — Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. K. — 2, 2 Jesu pedes uberimis B. — 2, 3 Rigans remissam criminum B. — 3, 4 Donantur ei plurima DFG. — 5, 1 Hujus palam B.

295. De s. Maria. Magdalena.

Ad Laudes.

1. O quam beata femina,
Superna quam clementia
Culpis remissis omnibus
Tot promovet successibus.

2. Te mente nunc humilima,
Maria clementissima,
Precamur, audi supplicum
Voces tibi canentium.

3. Confer benigna coelitus
Nostris medelam mentibus,
Languore quae peccaminum
Diro premuntur admodum.

4. Sit trinitati gloria,
Sit laus, honor, potentia,
Det quae nobis perennibus
Frui Mariae gaudiis.

Brev. ms. S. Albani saec. 12. in. Cod. Londinen. Reg. 2 A X. A. — Brev. ms. S. Petri de Cultura saec. 13. Cod. Cenomannen. 188. B. — Brev. ms. Silvanectense saec. 13. Cod. Parisien. 1032. C. — Brev. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. IV° 19. D. — Brev. ms. Abrincense saec. 15. Cod Londinen. Add. 29885. E. — Brev. ms. Troarnen. saec. 15. Cod. Parisien. 13242. F. — Brev. ms. Sagiense saec. 15. Cod. Parisien. 13 243. G. — Brev. ms. Sagiense saec. 15. Cod. Parisien. 1272. H. — Brev. ms. Lexoviense saec. 15. Cod. Suessionen. 106. I. — Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. K. — 2, 2 Matrona clementissima GH. — 4, 3 Nobis quae det H.

296. In Translatione s. Magdalenae.

Ad Vesperas.

1. Jam Christus, sapientia,
Lux, vita, salus cordium.
Magdalenae solemnia
Dat nobis in solatium.

2. Solemnis est laetitia,
Commune cunctis gaudium.
Magdalenae praesentia
Nostrum ornat exsilium.

3. De patris ergo gratia
Manat hoc beneficium.
Dum Magdalenae gaudia
Virtutis dant encennium.

4. Deo patri sit gloria,
Christo laudis praeconium,
Flamini reverentia
Trinitati imperium.

5. Quaesumus, auctor omnium.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisien. 1061. A. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. B.

297. In Translatione s. Magdalenae.

Ad Matutinum.

1. Beata nobis gaudia
Novum parat officium,
Magdalenae magnalia
Linguae loquuntur omnium.

2. Dum hora cunctis praevia
Lux adest poenitentium,
Magdalena propitia
Sis apud Deum filium.

3. Impleta gaudent omnia
Deo corda fidelium,
De Magdalenae copia
Fit nobis stillicidium.

4. Deo patri sit gloria,
Christo laudis praeconium,
Flamini reverentia,
Trinitati imperium.

5. Quaesumus, auctor omnium.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisien. 1061. A. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1552. B.

298. In Translatione s. Magdalenae.

Ad Laudes.

1. Ex omni jam Provincia
Concurrant ad obsequium,
Implorent cum fiducia
Magdalenae suffragium.

2. Judaeorum perfidia,
Error absit gentilium,
Magdalenae prodigia
Mentes illustrant gentium.

3. Sed signorum insignia
Virtutumque commercium
Probant, quantum in patria
Sit Magdalenae praemium.

4. Deo patri sit gloria,
Christo laudis praeconium,
Flamini reverentia,
Trinitati imperium.

5. Quaesumus, auctor omnium.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisien. 1061. A. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. B.

299. De s. Maria Magdalena.

1. Maria, doctrix inclita,
Coelos ascendit hodie,
Quam perduxit ad aethera
Splendor paternae gloriae.

2. Arcana sacrae paginae
Declarat et mysterium
Per Mariam Magdalene
Deus, creator omnium.

3. Surgentis ei claruit
Prius Christi surrectio,
Hoc a te donum habuit,
Jesu, nostra redemptio.

4. Detentos a daemonibus
Curat, morbos languentium
Sanat, confert dolentibus
Magnum salutis gaudium.

5. Vita vivit feliciter
Cum gemina dapifera,
Cum qua degustat dulciter
Aeterna Christi munera.

6. Summae Deus potentiae,
Tibi sit laus et gloria.
Da post cursum miseriae
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. Arelatense saec. 15. Cod. Parisien. 1284. A. — Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. B. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. C.

300. De s. Maria Magdalena.

Ad Vesperas.

1. Felix christicolas exhilarat dies,
Anni qua reducis recipit orbita
Sanctae festa Mariae,
Plaudant astra, solum, mare.

2. Haec culpae poenitens, crimine saucia,
Coelestis medici gressibus oscula
Figit atque capillis
Tergit, quod lacrimis lavat.

3. Nardi nec dubitat fundere pistici
Unguentum, unde domus fragrat odoribus,
Simon uritur, haec flens
Omni crimine solvitur.

4. Post a morte Deum, dum vigil excubat,
Surrexisse videt primaque nuntiat,
Isti quatriduanum
Reddunt tartara Lazarum.

5. Tu, cui plena datur tantaque gratia,
Nobis, o domina, esto piissima
Culpis atque rogantum
Sacra da veniam prece.

6. Perpes cum genito gloria sit patri,
Par laus, aequus honor sit quoque flamini,
Virtus atque potestas,
Trinae sit monadi decus.

Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb 303. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. B. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106 C. — Brev. Andegavense saec. 15. Cod. Parisien. 1273. D. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII° 24. E. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. F. — 1, 2 reducti AE: reduci D. — 4, 1 Post haec D. — 5, 4 dona veniam D. — Mel.: Gaude visceribus.

301. De s. Maria Magdalena.

Ad Matutinum.

1. O quam laudiflua mente colenda
Et quanto studio glorificanda
Fulget, stelligera sede locata,
Praecellens meritis sancta Maria.

2. Quae multo scelerum tabida morbo
Vitae praecipitis vana sequendo,
Pedes dum Domini flendo rigavit,
Peccati meruit sorde lavari.

3. Quos tersit lacrimans crine soluto,
Alto corde gemens oscula dando,
Ut, quod putruerat, ipse piaret
Coelestis medicus, Simonis hospes.

4. Sic conjuncta Deo mente tenaci,
Mundum despiciens optima legit,
Quae concessa sibi judice Christo
Auferri poterunt tempore nullo.

5. Nunc ergo, fragilis conscia vitae
Pro nobis, petimus, vota refunde,
Ut, qui multa tibi crimina tersit,
Abstergat miseris plurima nobis.

6. Sit laus principio maxima summo
Aequalique suo tempore verbo,
Perpes gloria cum flamine sancto,
Uno multiplici fine remoto.

Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb 303. A. — Hymn. ms. Andegavensis. saec. 14. Cod. Andegaven. 105. B. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. C. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisien. 1273. D. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII° 24. E. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. F. — 2, 3 flendo fehlt D. — 6, 1 Sit salus D.

302. De s. Maria Magdalena.

Ad Laudes.

1. Festiva mundo gaudia
Refert dies haec inclita,
Qua prima Christi nuntia
Gaudens petivit sidera.

2. Haec quippe carnis lubrica
Sectando, luxu foetida,
Ad castitatis lilium
Confugit odoriferum.

3. Nam cum recepit hospitem
Deum simul et hominem
Simon leprosus, adfuit
Supplex gemens et flebilis.

4. Tunc multa praebens oscula
Unguenta sparsit mystica,
Unguens caput cum gressibus
Unguenda sancto spiritu.

5. Nos ergo tanto judice
Omni solutae crimine
Laudes feramus integras
Devotione debita.

6. Summi patris essentiae
Ejusque sapientiae
Sanctissimo cum neumate
Sit laus in omni tempore.

Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb 303. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 15. Cod. Andegaven. 105. B. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. C. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisien. 1273. D. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII 24. E. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. F.

303. De s. Maria Magdalena.

Ad Vesperas.

1. Peccatrix quondam femina,
Ecclesiae notissima,
Exuta carnis onere
Coelos ascendit hodie.

2. Hujus qui colunt exitum,
Recenseant introitum
Ad laudem summi Domini,
Qui tantum praestat homini.

3. Sedebat apud Simonem
Deus indutus hominem,
Accessit moerens languida
Ad medici vestigia.

4. Ex magno desiderio
Processit haec praesumptio,
Ut attrectaret meretrix,
Quem tulit virgo genitrix.

5. Quid vellet, voce tacuit,
Sed lacrimis exposuit,
Et osculis et crinibus
Oravit pro criminibus.

6. Interpellavit unguine,
Cum non est ausa famine,
Dans pharisaeo scandalum
Sed Deo sacrificium.

7. Ob hoc recessit omnium
Soluta nexu criminum
Christo ferente veniam,
Qui protulit sententiam.

8. Sit patri laus ingenito
Et ejus unigenito
Cum spiritu paraclito
Nec nato nec ingenito.

Brev. ms. S. Albini Andegaven. saec. 15. Cod. Andegaven. 108. A. — Brev. ms. SS. Cosmae et Damiani prope Turones saec. 15. Cod. Turonen. 152. B. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. C. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. D. — Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. E. — Brev. S. Albini imp. Andegavi 1531. F. — 1, 1 Peccatrix quaedam BF. — 2, 1 Cujus qui B.

304. De s. Maria Magdalena.

Ad Nocturnum.

1. Maria, mater Domini,
Maria, soror Lazari,
Duae matronae coelitus
Collatae sunt fidelibus.

2. Impar ancilla dominae
Sed pari fulgens nomine,
Haec forma poenitentiae,
At illa mater veniae.

3. Est illa virgo virginum,
Sanctorum princeps omnium,
Haec peccatorum conscia
Et criminosis commoda.

4. Maria pedes genuit,
Quos illa plorans tenuit,
Quia dilexit nimium,
Purgata labe criminum.

5. Haerens humo miserrima
Complectitur vestigia,
Undas, quas fudit oculis,
Piis desiccans osculis.

6. Accessit ejus merito
Mirabilis dignatio,
Unguento nardi pistici
Perfudit caput Domini.

7. Huic se resurgens Dominus
Manifestavit primitus.
Infamem quondam feminam
Constituens apostolam.

8. Sit patri laus ingenito
Et ejus unigenito
Cum spiritu paraclito
Nec nato nec ingenito.

Brev. ms. S. Albini Andegaven. saec. 15. Cod. Andegaven. 108. A. — Brev. ms. SS. Cosmae et Damiani saec. 15. Cod. Turonen. 152. B. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. C. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. D. — Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. E. — Brev. S. Albini imp. Andegavi 1531. F. — Str. 3 fehlt F. — 7, 1 Huic se surgens E.

305. De s. Maria Magdalena.

Ad Laudes.

1. Omnes immundi, currite,
Fons patet indulgentiae,
Nullus desperet veniam,
Qui servat poenitentiam.

2. Exemplum Dei filius
Ostendit peccatoribus,
Mariam, vas spurcitiae,
Septeno plenam daemone.

3. Qua quondam nulla turpior,
Qua nunc vix ulla sanctior,
Quae Christi pedes abluit
Sed mox et caput imbuit.

4. Abhorret Christus neminem,
Deus non spernit hominem,
Agamus illi gratias
Pias fundendo lacrimas.

5. Pedes, quos nudat Dominus,
Tergamus nostris crinibus,
Superfluis ex opibus
Ministremus pauperibus.

6. Augebit nobis gratiam,
Quae praestat indulgentiam,
Ut nostra ex fragrantia
Redoleat ecclesia.

7. Peccatrix haec sanctissima
Propulset nostra crimina,
Ejus nobis oratio
Virtutum sit largitio.

8. Sit patri laus ingenito
Et ejus unigenito
Cum spiritu paraclito
Nec nato nec ingenito.

Brev. ms. S. Albini Andegaven. saec. 15. Cod. Andegaven. 108. A. — Brev. ms SS. Cosmae et Damiani saec. 15. Cod. Turonen. 152. B. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. C. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. D. — Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. E. — Brev. S. Albini imp. Andegavi 1531. F.

306. De s. Maria Magdalena.

Ad Vesp. et Noct.

1. Laetetur aula coelica,
Laetetur mundi curia,
Mariam coelo redditam
Cantet omnis ecclesia.

2. Haec in terrenis posita
Coeli ambivit atria,
Fluenta vitae sitiens
Et terrena fastidiens.

3. Ad fontem vitae sitiit
Et fontem vitae reperit.
Cujus fota dulcedine
Nil novit ultra flebile.

4. Nulla valet vox promere,
Nullus sensus concipere,
Qua pascatur dulcedine
Quoque fruatur lumine.

5. Laudetur inde genitor
Cum suo unigenito,
Laudetur sanctus spiritus
Ex patre ens et filio.

Brev. ms. Bellovacense saec. 13. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. IV° 7. A. — Brev. ms. S. Petri Carnoten. saec. 14. in. Cod. Carnoten. 554. B. — Brev. ms. S. Petri Carnoten. saec. 14. Cod. Carnoten. 564 (292 bis) C. — Brev. ms. Carnotense saec. 14/15. Cod. Cenomannen. 184. D. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisien. 1053. E. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisien. 13240. F. — Brev. Majoris Monasterii imp. Turonibus 1535. G. — 2, 4 Et terrae jam fastidiens E. — 3, 1 sitivit A. — 4, 4 Quanto fruatur F, quanta A.

307. De s. Maria Magdalena.

Ad Nocturnum.

1. Audi, paterna caritas,
Voces tuorum supplicum,
Intentos tuis laudibus
Salva Mariae precibus.

2. Haec de lacu miseriae,
De luto faecis eruta
Exemplum facta miseris
Coeli potitur gaudiis.

3. Ad istius imaginem
Peccantes omnes corrige,
Ut in ejus consortio
Coeli fruantur gaudio.

4. Praestet pater et filius,
Praestet amborum spiritus,
Ut ejus sanctis precibus
Jungamur coeli civibus.

Brev. ms. Bellovacense saec. 13. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. IV° 7. A. — Brev. ms. S. Petri Carnoten. saec. 14. in. Cod. Carnoten. 554. B. — Brev. ms. S. Petri Carnoten. saec. 14. Cod. Carnoten. 564. C. — Brev. ms. Carnotense saec. 14/15. Cod. Cenomannen. 184. D. — Brev. ms. S. Cerauni saec. 15. Cod. Carnoten. 556. E. — Diurn. ms. S. Mariae de Josaphat saec. 15. Cod. Carnoten. 541. F. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisien. 1053. G. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisien. 13240. H. — 3, 4 fruamur AH.

308. De s. Maria Magdalena.

Ad Vesperas.

1. Patris summi coaeterna,
Christe, sapientia,
Quam laudabilis in multis
tua larga gratia,
Dum, quae vilia fuere,
per te sunt egregia.

2. Quiddam inter haec praeclarum,
dignum et memoria,
Quod Mariae Magdalenae
diluens contagia
Peccatores ostendisti
non carere venia.

3. Nostris ergo ne uegetur
votis impetratio,
Prosit piae Magdalenae
jugis intercessio,
Quae te summo caritatis
coluit obsequio.

4. Genitori genitoque
laus cum sancto flamine,
Qui virtutum illustravit
Magdalenam lumine,
Cujus precum sublevemur
sedulo juvamine.

Brev. ms. Constantiense saec. 14. ex. Cod. Londinen. Add. 29886. A. — Antiph. ms. S. Martini de Estoviaco saec. 14. Cod. Parisien. 786. B. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisien. Nouv. acq. 425. C. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisien. 1300. D. — 2, 1 Quoddam C. — Mel.: Pange lingua.

309. De s. Maria Magdalena.

Ad Nocturnum.

1. Ineffabilis est, Christe,
tua mira gratia,
Non contemnis peccatricis
fletus et suspiria,
Non abhorres poenitentis
munus et obsequia.

2. Sedes illa septiformis
fuerat daemonii,
Te mundante facta nitens
aula sanctuarii,
Peccatoribus existit
porta refrigerii.

3. Ex quo tuo vero jungi
meruit consortio,
Tanta perstitit illius
erga te dilectio,
Quanta satis evidenti
patuit indicio.

4. Ad probandum, quod haec esset
diligens prae ceteris,
Huic apparuisti primo
rediens ab inferis,
Cum ad monumentum fleret
causa tui funeris.

5. Hujus ergo tam beatae
meritis et precibus
Nobis adsis, Jesu Christe,
tibi famulantibus,
Ut cum ipsa gloriemur
in coelorum sedibus.

6. Trino Deo simplicique
laus et jubilatio,
Qui virtutum illustravit
Magdalenam radio,
Cujus prece perfruamur
paradisi gaudio.

Brev. ms. Constantiense saec. 14. ex. Cod. Londinen. Add. 29886. A. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisien. 1300. B. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisien. Nouv. acq. 425. C. — Brev. ms. Coelestinorum saec. 14. Cod. Mazarin. 360 (778). D. — Brev. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733). E. — Brev. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 1277. E. — Psalt. ms. Coelestin. in Gentilino saec. 14/15. Cod. Avenionen. s. n. G. — 1, 2 Tua larga gratia ABC. — 1, 3 non sprevisti poenitentis ABC. — 1, 4 munus et obsequia ABC. — 1, 5 Ejus non abhorruisti ABC. — 1, 6 Fletus et suspiria ABC. — 2, 3 nitet F. — 2, 5 exsistens F. — Str. 3 und 4 fehlen ABC. — 6, 1 sqq. Gloria et honor Deo etc. ABC. — Mel.: Iste electus Johannes. G.

310. De s. Maria Magdalena.

Ad Laudes.

1. O beata Magdalena,
Deo dilectissima,
Ipso miserante facta
meritis amplissima,
Votis nostris adsis clemens
atque benignissima.

2. Per orationis tuae
jugia suffragia
Incentiva nostrae carnis
exstinguantur omnia,
Virtutumque conferatur
nobis excellentia.

3. Nos ab omnibus periclis
interpellans erue,
Morbem fuga, pestes pelle,
sanitatem tribue,
Copiam prosperitatis
impetra continue.

4. Quotquot tua celebrare
satagunt solemnia,
Interventionis tuae
sentiant praesidia,
Ut exsultent in aeternum
in perenni gloria.

5. Laus et honor jugis Deo,
decus et imperium,
Qui beatam Magdalenam
vexit ad aethereum,
Cujus prece pertingamus
ad coeleste bravium.

Brev. ms. Constantiense saec. 14. ex. Cod. Londinen. Add. 29886. A. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisien. Nouv. acq. 425. B. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisien. 1300. C. — Antiph. ms. S. Martini de Estoviaco saec. 14. Cod. Parisien. 786. D. — Brev. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 1277. E. — Brev. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733). F. — Psalt. ms. Coelestin. in Gentilino saec. 14/15. Cod. Avenionen. s. n. G. — 1, 5 nostris favens adsis ABC. — 2, 3 Carnis nostrae deleantur ABC. — 2, 4 quaesumus incendia ABC. — 3, 3 pestem E. — Str. 3 lautet in ABC:

Poenitentiae vigore vita nostra polleat,
Castitatis sanctitate caro munda floreat,
Et ardore caritatis mens opusque ferveat.

4, 5 Ut excellent E. — 5, 1 sqq. In ABC lautet die Doxologie: Gloria et honor Deo etc. — Die Mel. ist in G dieselbe wie zum Hymnus Iste electus Johannes.

311. De s. Maria Magdalena.

1. Plaudat polorum laudibus
Concentus omnis coelitus
Hujus diei debita
Celebritatis gaudia.

2. Haec nam superni luminis
Maria compta flosculis
Hausit fluentis dulcia
Fontis perennis famina.

3. Fulcris ministrans dapsilis
Conviva Christi splendidis
Fudit super sanctissimum
Nardum caput purissimum.

4. Jesu crucique proxima
Nec terga vertit territa,
Vitam manentem provida
Resurrexisse nuntiat.

5. Nunc ergo, juncta superis,
Te poscimus, Christicolis
Nostris favendo rhythmulis
Succurre vernans servulis.

6. Regi superno gloria,
Deo patri cum filio
Sanctoque sit spiritui
In sempiterna saecula.

Antiph. ms. Eduense saec. 13. in. Cod. Semin. Eduen. 151*. A. — Brev. ms. Jotrense saec. 13. Cod. Parisien. 750. B. — Antiph. ms. Eduense saec. 13/14. Cod. Semin. Eduen. s. n. C. — Hymn. ms. Berchingensis saec. 15. Cod. Colleg. ss. Trinitatis Cantabrigen. 6 III 54. D. — Brev. ms. Belnense saec. 15. Cod. Divionen. 112. E. — Brev. ms. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n. F. — Brev. ms. Eduense saec. 15. Cod. Carpentoracten. 78. G. — Brev. ms. S. Stephani Divionen. saec. 14. in Cod. S. Josephi Lugdunen. Ya 5. H. — Brev. ms. Eduense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. IV° 18. I. — Brev. ms. Sammaglorianum anni 1427. Cod. Mazarin. 346 (767). K. — Brev. Belnense imp. s. l. et a. L. — Brev. Elnense imp. Perpiniani 1500. M.

1, 1 Gaudet polorum M; Str. 1 zum Hymnus Votiva cunctis orbita (Mone 1053) geschlagen B. — 2, 4 Fontis superni B. — 3, 1 Pulchris K. — 3, 4 Nardus M; Caput nardum K. — 6, 1 sqq. in ABHIL u. a.:

Salve, beata trinitas,
Perenni manens gaudio,
Juva creatrix saeculum,
Quae regnas in perpetuum.

312. De Conversione s. Mariae Magdalenae.

Ad Vesperas.

1. Peccatricem se Domino
Quae fatetur in publico,
Spretis mundi illecebris
Veniam sic promeruit.

2. Haec prima pedes Domini,
Postquam a morte surrexit,
Quos laverat jam lacrimis,
Laeta devote tenuit.

3. Hujus precemur meritis,
Nos solve, Christe, maculis
Tergendo nostra crimina
In sempiterna saecula.

Brev. Halberstadiense imp. Lipsiae 1518.

313. De s. Maria Magdalena.

1. Gratiam Christi reorum conversio
Magis commendat quam justorum statio,
Quod peccatricis sanctae probant merita,
Cujus exemplo pars respirat perdita.

2. Annue, Christe, saeculorum Domine,
Nobis per hujus tibi cara merita,
Ut, qui te coram graviter deliquimus,
Hujus salvemur gloriosis precibus.

Psalt. ms. c. hymn. S. Barbarae in Algia saec. 14/15. Cod. S. Genovefae Parisien. Fol. 22. BBL. — Die zweite Strophe, wie die Mel. dem Hymnus Andrea pie entlehnt, ist ihrer Geläufigkeit wegen in der Hs. nicht ausgeschrieben.

314. De s. Maria Magdalena.

1. Jucundum satis dulce quoque festum
Devotam reddat totam Dei domum,
Quo Magdalene rutilat beata
Morte Maria.

2. Haec universum famosa per orbem
Divinae testis exstat pietatis,
Praetendens certam resurgendi formam
Omnibus lapsis.

3. Jam post immundae multa mala vitae
Salutem mundi credens advenisse
Venit ad Jesum, ubi discumbebat
Simonis domo.

4. Intra se grandi confusa pudore
Forisque nullo suffusa rubore
Ante convivas fercula praesumit
Plena dolore.

5. Amplexa pedes Domini stat retro,
Lacrimis rigat, linit et unguento,
Tergit capillis, labiis demulcet
Oscula dando.

6. Age, Maria, liquesce, distilla,
Non jam peccatrix sed poenitens pia,
Macta te ipsam hostiam viventem
Deo placentem.

7. Dilige multum post peccata multa,
Ut remittantur non tamen inulta,
Quia tu punis, ut judexsit mitis,
Et tu immunis.

8. Accipe tales, Jesu bone, cibos,
Bibe libenter lacrimarum rivos,
Et, quia multum diligit Maria,
Multum relaxa.

Brev. ms. saec. 14. Cod. Parisien. 1259.

315. De s. Maria Magdalena.

1. Laudes Christo cum canticis
Cordis canamus modulis,
Qui peccatricem Mariam
Sponsam fecit clarissimam.

2. Pulsis septem daemonibus
Hanc septiformis spiritus
Implet, pater et filius,
Haec trinitas unus Deus.

3. Hinc Jesu Christi Domini
Pedes perfundens lacrimis
Rigat, ungit exterius,
Qui se mundat interius.

4. Pergit ad crucem Dominus,
Lugens Maria sequitur,
Videt pati, videt mori,
Sepulchro condi conspicit.

5. Sepulchro fert aromata
Dumque condire properat,
Redivivum a mortuis
Cernere prima meruit.

6. Ergo, Maria, Domini
Dei dilecta filii,
Impetra nobis miseris,
Quod impetrasti lacrimis.

7. Sit genitori Domino
Et ejus unigenito
Cum spiritu paraclito
Gloria, laus atque honor.

Antiph. ms. S. Petri Glocestren. saec. 13. Cod. Collegii Jesu Oxonien. 10. A. — Psalt. ms. S. Andreae de Bornholm in agro Norfolkiensi saec. 14. in. Cod. Oxonien. Ashm. 1523. B.

316. De s. Maria Magdalena.

1. Laetus hoc festum colat universus
Orbis et sumat sibi spem salutis,
Magdalenae dum recolit beatae
Festa Mariae.

2. Actibus pravis misere subacta,
Sordibus multis erat inquinata,
Horruit tandem scelus hoc perosa
Cordeque toto.

3. Poenitens Jesu pedibus profusa,
Osculis haerens lacrimis rigabat,
Crine contergens simul et perungens
Flendo sedebat.

4. Largitas Christi veniam dat illi,
Nec modo poenam scelerum remittit,
Immo virtutum meritis adauctam
Condecoravit.

5. Diligens multum meruit beata
Diligi multum, Dominumque vidit
Prima surgentem, fuit et subactae
Nuntia mortis.

6. Obtine, felix nimium Maria,
Supplici plebi veniam petenti
Et tuis illam meritis resolve
Crimine vinctam.

7. Claritas, virtus, decus et potestas,
Actio perpes quoque gratiarum
Sit tibi, sit laus et honor per aevum,
Rex Deus alme.

Brev. ms. Coldoniense saec. 13/14. Cod. Londinen. Harl. 4664. — 6, 4 victam Hs. — Str. 1—4 ad Noct., 4—7 ad Laudes.

317. De s. Maria Magdalena.

Ad Nocturnum.

1. Repleta gaudio fidelis concio
Hymnum laetitiae decantet hodie
Christo, qui gratiam dedit et veniam
Mariae quondam debili.

2. Illa per nimia cucurrit vitia,
Peccavit publice sed prolis deicae
Per medicamina purgavit crimina
Affectu admirabili.

3. Haec mulier, pia poenitendi via,
Exoret veniae fontem et gratiae,
Ne nos culpis gravet sed sordidos lavet
Fonte inexaequabili.

4. Patri ingenito ejusque genito
Sanctoque flamini, amborum numini,
Sit laus et gloria, qui ligat omnia
Catena insolubili.

Brev. ms. Tarantasiense saec. 15. Cod. Lugdunen. 478. A. — Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479. B. — 3, 2 Exoret gratiae fontemque veniae B. — 3, 3 culpae gravet. B.

318. De s. Maria Magdalena.

Ad Vesperas.

1. Felix, Maria, veniae
Spes, forma poenitentiae,
Conversionis speculum,
Nobis placato Dominum.

2. Felix, o felix femina,
Dei praeventa gratia,
Dum caput et vestigia
Perunxisti dominica.

3. Funde pro nobis lacrimas,
Funde preces uberrimas,
Ut mala nostra diluat,
Qui tua lavit crimina.

4. Fer nardi libram pistici,
Pedes perunge Domini,
Ut nos unguento gratiae
Sanet ab omni vulnere.

5. O contemplandi symbolum,
Pro nobis roga Dominum,
Ut nos pellat a barathro,
Qui suscitavit Lazarum.

6. Amica Jesu sedula,
Dum sponsi luges funera,
Cernis vivere Dominum,
Quem reputabas mortuum.

7. Da nobis clara gaudia,
Quae nuntiasti, domina,
Da nobis Jesu gloriam
Cum perenni laetitia.

8. Praestet hoc patris deitas,
Praestet et nati pietas,
Praestet amborum caritas
Per infinita saecula.

Brev. Camaldulense imp. Florentiae 1484.

319. De s. Maria Magdalena.

Ad Nocturnum.

1. Magdalenae praeconium
Turba colat fidelium,
Sexus et aetas omnium
Mariae canat canticum.

2. Cum verus sol occubuit,
Mariae fides micuit,
Quem vivum sat dilexerat,
In sepultura celebrat.

3. Sol verus unde deficit,
Maria multum proficit,
Solis namque obscuritas
Mariae fugat tenebras.

4. Maria, stella fulgida,
Solis surgentis nuntia,
De tenebris nos excita
Et Jesu nos concilia.

5. Ut nobis poenitentibus
Congaudeat exercitus,
Qui de te plenum gaudium
Celebrat in perpetuum.

6. Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Virtus amborum flamini
Sine fine laudabili.

Brev. Camaldulense imp. Florentiae 1484.

320. De s. Maria Magdalena.

Ad Vesperas.

1. Devota mente celebrem
Diem colamus inclitae
Mariae benignissimae,
Quae coelos scandit hodie.

2. Haec sprevit mundi gaudia
Vestigia tenens Dei
Eaque rigans lacrimis,
Ut solvat vincla criminis.

3. Nam haec est illa Magdala
Maria Christo sedula,
De qua septem daemonia
Ejecit Christi gratia.

4. Nunc vero est angelica,
Quae prius erat foetida,
Christi mundata gratia
Exsultat jam in aethera.

5. Exsultet ergo ecclesia
De hac beata Magdala,
Quae dat lapsis, ut redeant,
Spem quoque, ut non pereant.

6. Te quaesumus, piissima,
Pro nobis Deum rogita,
Ut dimittat peccamina
Suaque donet gaudia.

7. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Vallis Umbrosae anni 1476. Cod. Oxonien. Miscell. Lat. 168. — 3, 1 Nam haec est illa Magdalena, gegen den Vers; da auch 3, 2 die Form Magdala vorkommt, ist diese hier zu substituieren. — 5, 4 ut ne pereant.

321. De s. Maria Magdalena.

1. Eja, fratres, festum
Celebremus almum,
Quo peccatrix thronum
Scandit aethereum.

2. Tristi capta leto
Supplicat magistro,
Lavit pedes flendo
Ungens caput nardo.

3. Unde septem dona
Sumpsit neumatica,
Pulsavit sinistra,
Christi fit ministra.

4. De qua dixit Deus,
Sicut est placidus:
Dono tibi culpas
Me amanti multas.

5. Jam beata choris
Sociata sanctis,
Ora pro devotis,
Quae te laudant turmis.

6. Ut patri et genito
Spiritui sancto,
Serviamus rite
Pro obtentu vitae.

Brev. ms. Segusinum saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 137. A. — Brev. ms. saec. 15. Cod. Parisien. 1278. B. — Brev. Virdunense imp. Parisiis 1525. C. — 2, 1 Christi capta B. — 2, 2 Supplicavit AB. — 6, 1 Et patri et B. — 6, 4 Pro fehlt B.

322. De s. Maria Magdalena.

Ad Vesperas.

1. Festum colentes celebre
In Magdalenae nomine
Festivitati debitas
Odas canamus candidas.

2. Nam haec virago lacrimis
Culpas lavans dulcifluis
Donata Jesu gratia
Coeli colit palatia.

3. Haec fratris in fletu suo
Sororis acta nuntiat,
Flens flere turbam compulit,
Flentem magistrum conspicit.

4. Beata quam felicibus
Ditat Deus successibus,
Quo mortuum jam foetidum
Vivum recepit Lazarum.

5. Haec post crucis victoriam
Et passionis gloriam,
Quem concupivit maxime,
Vidit prius revivere.

6. Hujus precamur precibus
Nos, Christe, solve nexibus
Tergendo nostra crimina
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Coldoniense saec. 13/14. Cod. Londinen. Harl. 4664. A. — Brev. Vercellense imp. s. l. et a. B. — 1, 3 Festivitatis B. — 1, 4 canamus consonas B; die Lesart von A gebietet der zweisilbige männliche Reim, B wollte verbessern. — 2, 1 Nam et peccatricis lacrimis B. — 2, 4 Coeli tollit B. — Str. 3 fehlt B. — Statt Str. 5 hat A:

Sit tibi, Jesu, gloria
Per quem Maria est splendida,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

323. De s. Maria de Nivella.

Ad Vesp. et Laud.

1. Gloriam regis filiae,
Christi matris aequivocae,
Nunc recolat cum gaudio
Rectorum generatio.

2. Haec Maria de Nivella
Stella de stella radians,
Ejus sequens vestigia
Virtutum ab infantia.

3. Hanc educavit spiritus
Domini a primordiis
Certis virtutum gradibus
In exemplar praesentium.

4. Transfixit ejus animam
Fortis ut mors dilectio,
Dulci amoris gladio
Caritatis incendium.

5. Benignus Christi spiritus
Benignam suam coelitus
Unxit divino nectare,
Quod emanat a capite.

6. Sculptura supereminens
In ornatum benignarum,
Quae sunt ignitae coelitus
Amoris Dei incendio.

7. Juvenes cum virginibus,
Senes cum junioribus
Calcantes temporalia
Anhelant ad coelestia.

8. In vera fide stabiles,
In opere efficaces
Sequuntur agnum Domini
Divina alvearia.

9. Gloria tibi, Domine.

Offic. ms. Villariensia saec. 13. Cod. Bruxellen. s. n. — Da das Officium dieser Heiligen mit dem des sel. Arnulph ein Heft ausmacht und auch nach Stil und Form denselben Autor verrät, dürfen wir wohl Goswin von Bossut auch für den Autor dieses und der folgenden Hymnen ansehen. Benigna soviel als Beguine. — Nach Str. 4 Divisio; Mel.: Amore Christi nobilis.

324. De s. Maria de Nivella.

Ad Tertiam.

1. Exaltent nomen Domini
Juvenculae in tympanis,
Coelestium imagines,
Cruci affixae Domini.

2. Unitatis collegium,
Trinitatis spiraculum,
Genus divini numinis,
Virtutum exemplaria.

3. In arte sapientiae
Pusillus grex imbuitur,
Deliciis coelestibus,
Amoris magisterio.

4. Thesauros sapientiae
Coelestis et scientiae
Nunc revelasti parvulis,
O amor vincens omnia.

5. Rogemus nunc humiliter
Sponsi summi clementiam,
Ut sponsae suae meritis
Nos salvet a periculis.

Offic. ms. Villariensia saec. 13. Cod. Bruxellen. s. n. — Verfasser Goswin von Bossut; Mel.: Amore Christi nobilis.

325. De s. Maria de Nivella.

Ad Completorium.

1. O paradisus Domini,
Ubi florum varietas
Vernat, floret, spirat, olet,
Fructus coelestis satiat.

2. Ibi morum suavitas,
Paupertas voluntaria,
Sobrietas, satietas,
Laboris exercitium.

3. Hic fides, spes et caritas,
Coelestis meditatio,
Virtutum aemulatio,
Humilitas praecipua.

4. Castitas, patientia,
Vera obedientia,
Benignitas et puritas,
Discretio pacifica.

5. Pietas, cultus Domini,
Fervens zelus animarum,
Donorum distributio
In summa pace consonant.

Offic. ms. Villariensia saec. 13. Cod. Bruxellen. s. n. — Verfasser Goswin von Bossut. — 3, 1 Hinc. — 5, 4 consonat.

326. De sancta Martha.

Ad Vesperas.

1. Hac in die consobriis
Congratulemur gaudiis,
Qua coelos Martha subiit
Sacris ornata meritis.

2. Corde manuque dapsilis,
Gente locoque nobilis,
Fide, sermone claruit
Ac audacter intonuit:

3. Credo, Domine, penitus,
Christus es Dei filius,
Salus, vita credentibus
Et nunc et saeclis omnibus.

4. O quam beata femina,
Quae pavit de re propria
Eum, qui pascit omnia,
Ejus praefulgens hospita.

5. Precemur ergo supplices,
Ut nobis, Martha, vindices,
Ut in coelesti regia
Tecum fruamur gloria.

Brev. ms. Pratellense anni 1449. Cod. Atrebaten. 914.

327. De sancta Martha.

Ad Nocturnum.

1. Jam Christus coelum scanderat,
Jam Christi fides creverat,
Jamjamque plebs Judaica
Torquebatur invidia.

2. Martha videns discordiam
Transfretavit Marsiliam,
Soror ejus et legio
Non desinit consortio.

3. Maximinus non defuit,
Sed sicut praesul praefuit,
Qui legem Christi docuit
Et ecclesias statuit.

4. Martha semper jejuniis,
Precibus, elemosynis
Insistens omnes propriis
Refovebat substantiis.

5. Tandem Christus cum angelis
Et cantibus organicis
Eam subvehens coelicis
Adsociat consortiis.

6. Ergo, Martha piissima,
Tua prece nos adjuva,
Ut fruamur deifica
Visione per saecula.

Brev. ms. Pratellense anni 1449. Cod. Atrebaten. 914. — 1, 2 Jam plebs Judaica. — 2, 4 desinit a consortio. — 4, 4 Resonebat.

328. De sancta Martha.

Ad Laudes.

1. Dies adest en celebris
Marthae fulgens praeconiis,
Quae promit nunc ecclesia
Gaudens de tanta filia.

2. Vecta per suum hospitem
Coelestemque opificem
Ad arcem veri luminis
Pro suis piis meritis.

3. Exemplo hujus hospitae
Christum fovemus specie
Degentem hic in paupere,
Semen serentes gratiae.

4. Quod metemus fac prospere,
Cum dies instat gloriae,
In quo Marthae consortio
Conjungamur perpetuo.

5. Praesta, beata trinitas,
Concede, simplex unitas,
Ut prece Marthae hospitae
Laetemur omni tempore.

Brev Othinense imp. Lubecae 1497. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — 1, 1 Dies jam adest celebris B. — 2, 2 Ad coelestem opificem A. — 4, 1 Quod meremur A.

329. De sancta Martha.

Ad Vesperas.

1. Hymnum devote personet
Nunc militans ecclesia
Et triumphanti consonet
Agens Marthae solemnia.

2. Haec clara tribu claruit,
Sed clarior in opere,
In carne degens meruit
Christum aede suscipere.

3. Felix, quam tanti hospitis
Sic decorat susceptio,
Quod hanc digne pro meritis
Perpeti donat praemio.

4. Haec ut ministra sedula
Christo parat edulia,
Sed hic vitam per saecula
Dat ei per edulia.

5. Christum fletibus incitat
Pro morte fratris Lazari,
Moxque Christus hunc suscitat
Tollens de fauce Tartari.

6. Sit laus patri cum filio
Simulque sancto flamini,
Qui Marthae patrocinio
Coeli nos jungat agmini.

Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Mazarin. 352 (780). A. — Brev. ms. Turonense imp. Parisiis 1522. B. — Brev. Aurelianense imp. s. l. et a. C. — 1, 2 Hunc militans C. — 4, 4 pro edulia A; pro edulio B. — Doxologie in C: Sit trinitati gloria, honor et benedictio etc.

330. De sancta Martha.

Ad Nocturnum.

1. Hac die transitus Marthae recolitur,
Qua carne spiritus ejus exuitur
Et coelis insitus cum Christo creditur
Laetus perfruens praemiis.

2. Vergente vespere vitae percelebris,
Calcatis prosperae vitae illecebris,
Cubans in cinere fugatis tenebris
Repletur lucis radiis.

3. Hora, qua conditur ejus corpusculum,
Adesse legitur Christus ad loculum,
In quo perpenditur amoris vinculum
Christi et ejus hospitis.

4. O felix hospita, cujus est praemium
Hospes, cui subdita est salus omnium,
Sedule rogita hunc, ut solatium
Nobis det tuis meritis.

5. Te, summa trinitas, supplices petimus,
Ut, quam nunc hospitas tecum, ut credimus,
Nos Marthae sanctitas ducat, quo tendimus,
Ad lucem, quam inhabitas.

Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Mazarin. 352 (780). A. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 147 et 148. B. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. C. — 2, 4 Replevit A. — 3, 2 ad osculum A. — 3, 4 hospitae BC gegen den Reim (vgl. 4, 4).

331. De sancta Martha.

Ad Laudes.

1. Verbum supernum prodiens,
Carnis velatum fibula,
Mire mundum reficiens,
Martha cibavit sedula.

2. Quem virginis puerperae
Alvus huic mundo protulit,
Illi Marthae dapiferae
Manus fomentum contulit.

3. Felix pastus, quo pascitur
Pastor et sator omnium,
Et quo pascens nanciscitur
Vitae perennis praemium.

4. Activam Martha typice
Vitam signat in actibus,
Sed exemplar theoricae
Vitae soror est omnibus.

5. Sit trinitati gloria,
Honor et benedicto,
Quae per Marthae suffragia
Nos donet coeli gaudio.

Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Mazarin. 352 (780). A. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 147 et 148. B. — Brev. ms. Aurelianense imp. s. l. et a. C. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. D. — 2, 3 Illa A. — 2, 4 foventum A. — 3, 3 nascitur A. — 5, 3 Qui per A.

332. De sancta Martha.

Ad Vesperas.

1. Jesu Christe, hospes pie
Marthae benignissimae,
Qui virtute deitatis
quadriduanum Lazarum
Busto suo suscitasti,
vota nostra suscipe.

2. Trina morte consepultos
mentis, actus et usus
Marthae prece circumfultos
ab hujus voragine
Leva, trahe bonitate
tua nosque respice.

3. Ut exuti gravi carne
transeamus libere
Sine mole peccatorum
ad supernae patriae
Regnum, in quo Martha vivit
perpes sine tempore.

4. Hoc digneris nobis dare,
Christe clementissime,
Manens in aeternitate
saeculorum cum patre,
Simul una potestate
cum spiritu compare.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — 1, 6 Nostra vota A. — 2, 1 Ut terna morte sepultos A. — 3, 1 gravi mole B. — 3, 3 Sine malo B.

333. De sancta Martha.

In 1. Vesperis.

1. Adoremus creatorem,
Jesum, mundi salvatorem,
Qui Martham valde dilexit,
In hac die coelo vexit.

2. Quem sacra virgo lactavit
Jacentem in cunabulis,
Martha magnum focillavit
Cum suis apostolis.

3. Cujus nutu, cujus cura
Subsistit atque regitur
Universa creatura,
Hac salvator pascitur.

4. Marthae soror est Maria,
Vocabulo Magdalena,
Quae audiebat jugiter
Verba Christi humiliter.

5. Martha vero ministrabat
Ipsi patri fidelium,
Pietatem exercebat
Utilitati omnium.

6. Harum fratrem suscitavit
Dominus piis precibus
Et a morte revocavit
Ipsum reddens sororibus.

7. Mira Dei potentia,
Dum in plebis praesentia
Lazarus resuscitatur
Et ab orco revelatur.

8. Quarum et amicitia
Adsit nobis propitia,
Nos ducens ad salubria
In coelesti jam patria.

Brev. ms. Gratianopolitanum saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 136. — 5, 3 Pietate. — 5, 4 Utilitatem. — 8, 4 In coelestia patria.

334. De sancta Martha.

Ad Nocturnum.

1. Lux, ecce, surgit lucida,
In qua Christi jam hospita
Suis praeclaris meritis
Multis splendet miraculis.

2. Draconem invincibilem
Per leones vel hominem,
Ursos vel ullo gladio
Suo ligavit cingulo.

3. Ad hujus preces Dominus,
Quem necaverat Rhodanus,
Resuscitavit puerum
Jam mortuum per biduum.

4. O digna magnis meritis,
Cujus Dominus oculis
Sororis monstrans animam
Partem cadentem aetheram.

5. Exstinguit Satan lumina,
Circa quam erant posita,
Quae post vidente hospita
Soror accendit facula.

6. Haec est magna solemnitas,
Ejus summa celebritas,
Cujus Christus funebria
Praesens peregit dextera.

7. Ad hujus tumbam corpora
Sanantur cuncta languida,
Sanitatem recipiunt
Aegri, qui fide veniunt.

8. Flagitemus hanc dominam,
In laudibus magnificam,
Ut nos ipsius precibus
Salvemur a criminibus.

Brev. ms. Gratianopolitanum saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 136. — 4, 4 augenscheinlich verderbt; lies Morte scandentem?

335. De sancta Martha.

1. Pangat turba clericorum
Marthae beatae cantica,
Sonet turba praelatorum
Ejus gesta mirifica.

2. Sicut sacrato ubere
Virgo Christum ablactavit,
Sic Martha salutifere
Suis cibis ipsum pavit.

3. Maris demptis diris telis
Marsiliam applicuit
Sine remis atque velis,
Res mira cunctis claruit.

4. In litore Avenico
Exanimem suscitavit,
Ore loquens dominico
Multos in fide plantavit.

5. Nerlucum fera pessima
Occupatum detinebat,
Ferarum crudelissima
Excolentes perimebat.

6. Illa nautis insidians
Novit sub unda rapere,
In hos vorandos inhians
Dorso naves subvertere.

7. His sancta valde condolens
Presso crucis signaculo
Intrepida hanc adiens
Suo ligavit cingulo.

8. Ad quam ligatam currere
Cum gladiis et fustibus
Temptavitque irruere,
Qui prius erat pavidus.

9. Et tunc cultor excoluit
Agros, quos prius horruit,
Ferae malis hinc abditis
Beatae Marthae meritis.

10. Oremus, ut haec hospita
Obtineat per merita
Cum tota coeli curia
Beata nobis gaudia.

11. Praesta, beata trinitas,
Ut in regno viventium
Nobis detur haereditas
Per ipsius suffragium.

Brev. ms. Arelatense saec. 14. Cod. Parisien. 752. A. — Brev. ms. Arelatense saec. 15. Cod. Parisien. 1284. B. — Brev. ms. Gratianopolitanum saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 136. C. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 39. D. — Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. E. — Brev. Misnense imp. Lipsiae 1502. F. — Brev. Cabilonense imp. saec. 15/16. G. — Nur Str. 1—4 + 11 BFG; nur Str. 5—11 ACD. — Str. 10 fehlt ABDEFG; Str. 11 fehlt C. — Nach Str. 4 Divisio; die 4 ersten Strophen bei Mone 1066, das Ganze ist aber nur ein Hymnus. — 1, 1 Clangat turba E. — 2, 4 Christum pavit F. — 3, 1 Claris ventis diris celis B; claris ventis diris telis E. — 4, 1 Avinico F, Alvenico B, Advenico G. — 5, 1 Per lucum fera A; Haec lucum fera C: vgl. Jacob a Voragine (ed. Graesse. 1850) S. 444. — 6, 4 fehlt C. — 7, 1 His factam valde E; valde dolens C. — 7, 3 haec adiens C. — 7, 4 Suo subjecit vinculo C. — 8, 1 currentes C. — 8, 4 erant C. — 5, 1 Ex tunc E; Et tum C. — 5, 3 hinc adjectus C.

336. De sancta Martha.

Ad Vesperas.

1. Ad celebre praeconium,
Quo Martha contubernium
Carnis deponit tumulo,
Quae Christum pavit sedulo,

2. Gaudet mater ecclesia,
Quia cum patre filia
Triumphat in coelestibus
Laeta cum sanctis omnibus.

3. Sororem vidit scandere
Cum angelis in aethere,
Cum quibus coelos penetrat
Nobisque vitam impetrat.

4. Adesto, felix hospita,
Quae tot transcendis merita,
Dum foves in hospitio,
Quem virgo clausit gremio.

5. Laus sit aeterno solio
Paraclito cum filio,
Qui Mariam glorificat
Marthamque beatificat.

Brev. ms. Grassense saec. 14. Cod. Carpentoracten. 43.

337. De sancto Martino.

1. Martini laudes incliti
Quis digne fari poterit,
Virtutum gemmis praediti?
Laudanti laus supererit.

2. Qui sanctitatis culmine
Nulli secundus claruit,
In confessorum agmine
Sidus impar emicuit.

3. Tres suscitavit mortuos
Christum sequens in numero
Fide, spe, forma vacuos
Pio portavit humero.

4. Virgo, doctor egregius
Bina gaudet aureola,
Apostolorum socius,
Humilitatis viola.

5. Sit trinitati gloria
Sub unitatis clausula
Martini pro memoria
In sempiterna saecula.

Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1477. Cod. Semin. Colonien. 5a. A. — Psalt. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1542. Cod. Semin. Colonien. 52. B. — Antiph. ms. S. Cuniberti Colonien. s. n. anni 1554. C.

338. De sancto Martino.

Ad Vesperas.

1. Rex Christe, tu mirificas
Martinum praesulem tuum,
Splendens ut sit et sublimis,
Blandus, lenis, pius, dulcis.

2. Quo jubente fugit fumus,
Surgit lapsus, psallit laetus.
Fatur mutus, audit surdus.
Videt caecus, salit claudus.

3. Tu das, ut, ubi coleris,
Sit notus et amabilis,
Hinc laus tibi sit per eum,
Mundo perenne gaudium.

4. In sacro ejus transitu
Coeli frequentant ordines,
Linguae, tribus, gentes ovant,
Da, prosit hic communiter.

5. Sit trinitati gloria,
Martinus ut confessus est,
Cujus fidem per opera
In nobis ipse reboret.

Brev. ms. Majoris Monasterii saec. 11. Cod. Rotomagen. 243. A. — Brev. ms. Lingonense saec. 12. Cod. Trecen. 807. B. — Brev. ms Columbense saec. 13. Cod. Ebroicen. 31. C. — Brev. ms. S. Petri de Cultura saec. 13. Cod. Cenomannen. 188. D. — Brev. ms S. Mauritii Turonen. anni 1343. Cod. Turonen. 145. E. — Brev. ms. Lirense saec. 14. in. Cod. Ebroicen. 120. F. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 147—48. G. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Parisien. 1032 H. — Brev. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Parisien. 1043. I. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. K.

1, 3 Ut sit splendens H. — 3, 3 Hic laus tibi AK. — 4, 2 Coeli frequentatum H. — Die meisten Handschriften bieten diesen und den folgenden Hymnus als einen einzigen, andere geben Divisio an, wieder andere trennen beide Lieder.

339. De sancto Martino.

Ad Laudes.

1. Martine, jam consul poli,
Causas precantum inspice,
Jam intimus comes Dei
Cunctis, quod egent, obtine.

2. Te mundus omnis percolit
Consertum ut apostolis,
Hanc redde singulis vicem,
Placa suum his judicem.

3. Complexus olim monachos
Revise nunc licet reos,
Et simus in memoria
In speciali gloria.

4. Affectus ut ille tuus,
Qui non refutat vel pecus,
Nos corrigat donans, tuae
Quod suppetit clementiae.

5. Sit trinitati gloria.

Brev. ms. Majoris Monasterii saec. 11. Cod. Rotomagen. 243. A. — Brev. ms. Lingonense saec. 12. Cod. Trecen. 807. B. — Brev. ms. Columbense saec. 13. Cod. Ebroicen. 31. C. — Brev. ms. S. Petri de Cultura saec. 13. Cod. Cenomannen. 188. D. — Brev. ms. S. Mauritii Turonen. anni 1343. Cod. Turonen. 145. E. — Brev. ms. Lirense saec. 14 Cod. Ebroicen. 120. F. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 147—48. G. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Parisien. 1032. H. — Brev. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Parisien. 1043. I. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. K
1, 3 intime HI. — 3, 1 Amplexus EG. — Str. 3 fehlt H. — 4, 3 donatus.

340. De sancto Martino.

Ad Vesperas.

1. In laude Martini, Deus,
Te laudat omnis grex tuus.
Coelo facis quem praecluem,
Terris ubique celebrem.

2. Sit laus tibi, rex gloriae,
Qui comis hunc tam splendide,
Ut unus inter splendidos
Nitet per orbis terminos.

3. Sermone, signis, opere
Praecelluit mirifice.
Ob grande nimis meritum
Est gemma dictus praesulum.

4. Decorus ipso transitu,
Omnes quam ornant caelibes,
Dives qui in Abrahae sinu
Intendat inde supplices.

5. Herili nocte media
Qui pace migrat reddita,
Quam nunc refundat omnibus
Festum sui colentibus.

6. Hunc semper orbis celebret
Consertum ut apostolis,
Hinc illum apud te juvet,
Nulli secundus meritis.

7. Ut caritatis spiritu
Sic affluamus invicem,
Quo corde cum suspiriis
Ipsum sequamur intimis.

8. Sit trinitati gloria,
Martinus ut confessus est,
Cujus fidem per opera
In nobis ipse roboret.

Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisien. 1273. A. — Brev. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 1274 B. — Brev. ms. Coelestin. saec. 14. Cod. Mazarin. 361 (778). C. — Brev. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733). D. — 1, 3 praeditem A: praeducem B. — 3, 2 Praecellit A. — 4, 2 coelitus A. — Str. 6 und 7 fehlen A.

341. In Translatione s. Martini.

Ad Vesperas.

1. Inter patres monastici
Et clericalis ordinis
Martinus est virtutibus
Insignis et miraculis.

2. Non quilibet de pluribus,
Sed ille solitarius
Primum, dehinc Turonicae
Praesul paterque patriae.

3. Directa quem prudentia
Fortisque temperantia,
Quin universa sanctitas
Ornavit, hoc est caritas.

4. Is pauperi quam dividit,
Se veste Christus induit
Dans signa tantae gratiae
Nondum renato cernere.

5. Mox fonte coeli roscidus
Sancto repletur spiritu
Divoque fretus numine
It ut potens apostolus.

6. Confutat ortas haereses,
Jussu repellit daemones,
Leprae medetur osculo
Et mortuis precario.

7. Quid igne rapto coelitus
Cremasse fana funditus
Gravesque moles per fidem
Hunc transtulisse praedicem.

8. Dedisse caecis sidera,
Sentire surdis organa,
Mutisque praecinentibus
Aptasse claudos saltibus.

9. Quot gesserit hujusmodi
Miraculorum milia,
Fugit ligari calculo
Velut saburra pontica.

10. Sit trinitati gloria,
Martinus ut confessus est,
Cujus fidem per opera
In nobis ipse roboret.

Brev. ms. Majoris Monasterii saec. 13. Cod. Turonen. 153. A. — Brev. ms. Lirense saec. 14. in. Cod. Ebroicen. 119. B. — Brev. ms. S. Vincentii Cenomannen. saec. 15. Cod. Semin. Cenomannen. s. n. C. — Strophe 2 fehlt C. — 5, 1 roscido C. — 5, 2 replente. — 5, 4 Id ut A. — 9, 3 ligari circulo C. — Autor des Liedes ist Fulbert von Chartres; vgl. Migne PP. LL. 141, S. 344.

342. In Reversione s. Martini.

Ad Vesperas.

1. Martine, praesul optime,
Salus nostra tu omnium,
Fusis precamur vocibus,
Ostende nobis veniam.

2. Ovile, sancte, nos tuum
Sumus, quod hinc in aethera
Leva, precantes quaesumus,
Summis adhaerens coetibus.

3. Cum hic manemus saeculo
Vitae trahentes tenebras,
Per te, rogamus, jugiter
Lapsus vitare pessimos.

4. Sit trinitati gloria,
Martinus ut confessus est,
Cujus fidem per opera
In nobis ipse roboret.

Brev. ms. S. Martini Turonen. saec. 14. Cod. Turonen. 149. A. — Brev. ms. S. Martini saec. 14. Cod. Turonen. 150. B. — Brev. ms. SS. Cosmae et Damiani prope Turones saec. 15. Cod. Turonen. 152. C.

343. De sancto Martino.

1. Fratres, unanimes foedere nexili,
Mecum participes luminis annui,
Quo solis hodie fulminat orbita
Martini revehens festa celebria.

2. Cantemus pariter carmen amabile
Martini meritis oppido nobile,
Clerus cum populo consonet organo,
Grandi nam volupe est psallere gaudio.

3. Martinus quoniam vota fidelium
Attendit tribuens cuncta salubria,
Confert hic famulis rite canentibus
Stellis aureola serta micantibus.

4. Cunctis candelabrum luminis exstitit,
A multis tenebras mortis et expulit,
Virtutum statuit crescere germina,
In quorum fuerant pectore crimina.

5. His nos subsidiis undique praediti
Pangamus proprio cantica praesuli,
Laudemus parili voce, quod approbat,
Damnemus vigili mente, quod improbat.

6. Martinum precibus gens modo Gallica
Dignis sollicitet nostraque Francia,
Martinus faciat tempora prospera,
Mundi, Christe salus, o tibi gloria.

Antiph. ms. Sanctense s. n. saec. 13. A. — Brev. ms. Tullense saec. 15. Privatbesitz). B. — Brev. Lincense Cc II 17. saec. 14. D. — Brev. ms. Sanemmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14638. E. — Brev. Trajectense imp. Coloniae 1517. F. — Brev. Maguntinum imp. Lugduni 1507. G. — Dies Lied steht allerdings bei Daniel IV, 281, aber ohne jede Quellenangabe, so dafs es der Mühe wert scheint, es nach älteren Quellen zu wiederholen. — 1, 3 fulgurat orbita D. — 2, 3 populis E, insonet D. — 2, 3 consonat A. — 3, 2 Transcendens tribuit DEG. — 6, 2 nostraque Fresia F; nostra Germania DEG: sowohl in Mainz als in Utrecht ist Martinus Bistumspatron.

344. In Subventione s. Martini.

1. Gaudium mundi, Christe, lux sanctorum,
Coeli qui regna contulisti tuis,
Vota tuorum famulorum clemens
Suscipe semper.

2. Hujus Martini precibus placatus
Veniam nobis tribue culparum,
Hujus et vitae commoda dignanter
Nobis concede.

3. Hunc tu Martinum tuis ita cede
Digne famulis collaudare semper,
Quod post hanc vitam mereamur coelo
Illi conjungi.

4. Martine pie, tuum qui devote
Celebrant festum, miseratus fove
Scelerum atque potestate magna
Vincla dissolve.

5. Judicis iram miseratus placa,
Pestem et morbos languoresque pelle,
Fidei, spei, caritatis nobis
Dona largire.

6. Gaudet jam terra tuo decorata
Lumine, coelum simul et resultat,
Gaudium nobis tribue perenne,
Domne Martine.

7. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

Brev. ms. S. Martini saec. 15. Cod. Turonen. 150.

345. De sancto Matthia.

1. Diem angelicis solemnem choris
Hymnis et laudibus solemnizemus
In tua gloria, sancte Matthia.

2. En fulges in throno duodecimo.
Duodecim tribus judicaturus
Cum coapostolis judex insignis.

3. Proditor numerum minuit sacrum
Duodenarium apostolorum,
Quem tu, parve Dei, restituisti.

4. Sors apostolica duobus data
Super te cecidit teque elegit
Per gratiam Christi, quam meruisti.

5. O quam terribilis in consiliis
Es super filios hominum, Deus,
Dum parvi merito vincitur justus.

6. Ergo nos supplices te venerantes
Serenus respice et nos eripe
A morte aeterna, sancte Matthia.

7. Laus, jubilatio et honor Deo,
Patri atque proli, sancto spiritui.
Trinitati summae sit sine fine.

Brev. ms. Sammathianum saec. 15. Cod. Treviren. 433.

346. De sancto Mauro.

Ad Vesperas.

1. Luce refulgens aurea
Dies claret sanctissima,
Qua Maurus beatissimus
Coelum conscendit monachus.

2. Hic sacri tirocinii
Sanctitatis egregiae
Et virtutum insignia
Divina sumpsit gratia.

3. Jussu patris sanctissimi
Instar Petri apostoli
Undosi lympham gurgitis
Planta calcavit stabili.

4. Eodem Christo praevio
Galliam missus petiit,
Quam monachorum gregibus
Pollere fecit affatim.

5. Cujus oramus precibus
Annue, Deus, miseris,
Ut suspiremus seduli
Quo gaudet tecum perpetim.

6. Sit virtus, honor, gloria,
Potestas, adoratio
Trinitati deificae
Per infinita saecula.

Cod. Mazarin. 1707 (H 1318). saec. 10. A — Hymn. ms. Fossatensis anni 1416. Cod. Parisien. 12041. B. — Brev. Coelestin. imp. Neapoli 1488. C. — 1, 2 Maurus sanctissimus C. — 2, 1 Hi sacrique tyronici C. — 4, 1 Christus praevius C. — 5, 1 Hujus B, ejus C. — 6, 2 Potestas et oratio C.

347. De sancto Mauro.

Ad Matutinum.

1. Aeterna, Maure, gaudia
Christi corruscans gratia
Votis amasti quaerere
Fama, sitique frigore.

2. Sacri minister dogmatis
A patre Gallis mitteris,
Devota quoque pectora
Verbi cibasti copia.

3. Effloruisti plurimis
Circumdatus miraculis,
Semper studens excrescere
In sanctitatis culmine.

4. Sermone discis angeli
Dei secreta maximi,
Ejus repletus lumine
Et roboratus famine.

5. Clarior omni sidere
Jam gaudes omni munere
In arce pollens aetheris
Vitae perennis praemiis.

6. Sit sempiterna gloria
Patri Deo cum filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saeculo.

Hymn. ms. Fossatensis anni 1416. Cod. Parisien. 12041.

348. De sancto Mauro.

Ad Laudes.

1. Norma jubarque fidei,
Maure, clarescens inclite,
Defunctis vitae redditor
Et caecis lucis praestitor.

2. Magistri factus collega,
Decus formaque monachis,
Virtutum septus gemmulis
Sulcasti callem subditis.

3. Tui patrisque obitus
Et fratrum longe praescius,
Munisti verbis, flosculis
Magnum iter ad superos.

4. Errantes oves excipe,
Pastor pie sanctissime.
Ad regnum celsitudinis
Sacris attolle brachiis.

5. Christe, precamur fragiles,
Ut nostra solvas crimina,
Qui es cum patre filius
Semper cum sancto spiritu.

Hymn. ms. Fossatensis anni 1416. Cod. Parisien. 12041.

349. De sancto Mauro.

Ad Nocturnum.

1. Sacrae refulgent mystica
Festivitatis gaudia,
Qua conditur coelestibus
Maurus, pater sanctissimus.

2. Nam jam laborans improba
Fessos obedientia
Artus quieti reddere
Parabat requiescere.

3. Cujus recedens spiritus
Cum tenderet coelestibus,
Hic mente vidit lumine
Ejus viam splendescere.

4. Monstravit inde pluribus
Bellum parare moribus
Et temporum discrimine
Normali vitae vivere.

5. Laus trinitati debita,
Honor, potestas, gloria
Perenniter sint omnia
Per saeculorum saecula.

Cod. Hamburgensis 1568. saec. 15.

350. De s. Mauro Episcopo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Fundator orbis, qui plasmata regis,
Melodas voces admitte clementer,
Quas resonamus tibi jubilando
Vultu submisso.

2 Patrono nostro strenue poscenti
Jucundas aures pande festinanter,
Quae postulamus, largiter concede,
Rex dulcorose.

3. Pastor colende, Maure, amande
Te suffragante tueamur pie,
Clientes tuos diligenti cura
Semper guberna.

4. Deo fautore et te precatore
Hic militantes augmentatione
Diva augescant, et munia sua
Sint tibi cara.

5. Si quis contritus te postulaturus
Hic accesserit, libens da, quod petit,
Ut exsultanter recedendo grates
Promat auctori.

6. Trinitas summa, laudatio tibi,
Commissa laxa praestaque rogata,
Omnia nostra dicta atque gesta
Placida cerne.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 116. — 3, 1 Maure dreisiibig. — 3, 3 tuas. — 6, 2 Ommissa.

351. De s. Mauro Episcopo.

Ad Laudes.

1. Pontifex glorificande,
Maure, custos optime,
Sustentator dulcissimus
Tibi sis famulantibus.

2. Praevisor clementissimus
Disposuit benignius,
Ut locum hunc praesentia
Tua consecraret clara.

3. Qui te fautorem habemus,
Defensorem sentiamus
In omni adversione
Atque desolatione.

4. Membris redolentissimis
Hic excellenter quiescis,
Orato ergo strenuus
Pro augmento gregis hujus.

5. Nobis gratis es concessus,
Rege nos vigilantius,
Ut acceptabilis Deo
Sit jugiter haec concio.

6. Dulcis paternitas tua
Crimina nostra deleat,
Obsequia, quae reddimus,
Sancito gratiosius.

7. Gloria tibi, Domine,
Pater, proles, spiramenque,
Rectore nostro poscente,
Quae expediunt, exhibe.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 116. — 4, 3 Orator. — 5, 4 Sit jugis haec.

352. De sancto Maximino.

1. In laude regis omnium
Et Maximini praesulis
Totis medullis cordium
Insistat haec plebs muniis.

2. Hoc nempe laetus lumine
Confessor idem maximus
Terrena liquit lubrica
Coeli petivit gaudia.

3. Laetare tu, Pictavia,
Nati tui de gloria,
Et tu exsulta, Treveris,
Honore tanti praesulis.

4. Tali patrono supplicet,
Quisquis eget juvamine,
Christique caro jubilet
Per quadra mundi climata.

5. O Maximine, coelitus
Electe nobis pontifex,
Intende clemens laudibus,
Quas annuatim promimus.

6. Multis aerumnis scindimur,
Tua mederi quaesumus
Oratione sedula
Vitaeque dona consequi.

7. Honor, potestas, gloria
Deo patri cum filio
Paraclitoque pneumati
Per saeculorum saecula.

Brev. ms. S. Maximini saec. 15. Cod. Treviren. 443. A. — Brev. ms. Johannis Tritemii? anni 1502. Cod. Treviren. 454. B. — 2, 3 sq. lauteten in festo Translationis:

Translatus Aquitania
Ad Galliae subsidia.

2, 4 Coelique B. — 4, 1 patrono supplici A.

353. De s. Michaele et Angelis.

1. Ter terni chori superum
Beatorum spirituum,
Jam stabiliti curia
In coeli Dei gratia,

2. Qui vultum Dei cernitis
Sine defectu luminis,
Fruentes vero gaudio
De vestro certi praemio,

3. Mementote concivium,
Quamvis adhuc mortalium,
In infimis degentium
Et incerti gementium.

4. Alme creator pneumatum
Sanctorum, Deus, omnium,
Haec coelestis militia
Tuorum sunt custodia.

5. Non recedunt ab intimis,
Tuos tamen a lacrimis
Muniunt et tibi canunt,
Te fontem vitae sitiunt.

6. Lux decora sunt spiritus,
Quos fecit Deus primitus,
Hos eduxit a tenebris,
Indidit nomen luminis.

7. Virtutis pulchritudine
Est his nomen in lumine,
Angeli nitent fulgidi,
Ut lux solis clarissimi.

8. Sunt etiam tam candidi,
Quod nostri stupent oculi,
His sancta forma permanet
Et statum primum retinet.

9. Et in bonis aeternitas
Et perpes immortalitas
His collata spiritibus,
Ad malum nullus introitus.

10. Honor, patri cum gloria,
Virtus Christo, victoria,
Decus sancto spiritui,
Laus sit per saeclum saeculi.

Offic. ms. S. Michaelis. saec. 12. Cod. Bruxellen. 3089. — 3, 4 incertis. — 8, 1 Sunt et tam. — 9, 4 lies Malo nullus? — 10, 3 Decus sancta spirituum.

354. De s. Michaele et Angelis.

1. Angelis et hominibus
Unus erit denarius,
Omnibus Deus omnia
Se praebebit per saecula.

2. Congregate sanctos Dei,
Est perfectio collegii
Supernorum spirituum
Et plenum vestrum gaudium.

3. Hostis antiquus circuit
Quaerens, si quos invenerit,
Ut devoret, quaesi leo
Ore rugiens rabido.

4. Eripi per suffragia
Sibi dolet angelica
Possessum vas a fraudibus
Atque millenis artibus.

5. Jam breve tempus reputat,
In aere quod volitat,
Sentit esse judicium
Vitium et horrisonum.

6. Cum precibus nunc intimis
Rogamus et altisonis,
Nos, chori beatissimi,
Exaudire dignemini.

7. Jam fragiles nos homines,
Peregrinos et inopes,
Destitutos virtutibus
Reparate conatibus.

8. Vestros concives cernite
Pressos sub carnis pondere,
Studioso juvamine
His clementer succurrite.

9. Impugnamur assidue,
Undique sunt insidiae,
Intus et foris labimur,
Per vos nisi firmabimur.

10. Supernae rex militiae,
Da gaudia laetitiae,
Redde nobis consortium
Civium Deus superum.

11. Honor patri cum gloria.

Offic. ms. S. Michaelis saec. 12. Cod. Bruxellen. 3089. — 7, 1 Nam; nos fehlt.

355. De s. Michaele et Angelis.

1. Facturae, Christe, conditor,
Idem mirus dispositor,
Ubique fit confessio
Et semper nomini tuo.

2. Miro disponis agmina
Sacra modo distantia,
Istos das esse Seraphim
Et illos vero Cherubim.

3. Hos virtutes eximias
Contra vires aerias.
Hi dicti dominatio,
Alii Dei sessio.

4. Et principatus alii,
Quidam dicti sunt angeli,
Potestates, archangeli,
Ornatu cuncti splendidi.

5. Superum soli nomina
Sunt tibi, Deus, cognita.
Ipsorum, Christe, numerus,
Apud te solum cognitus.

6. Injuncta salutaria
Exhibent ministeria,
Ab inimici fraudibus
Defendunt tuos filios.

7. Sustollunt nos in manibus
Visibiliter, credimus,
Ne forte nunc ad lapidem
Collidamus nostrum pedem.

8. Haec agmina coelestia
Sunt hominum custodia,
Qui verba vitae sitiunt
Quique salutem cupiunt.

9. Honor patri cum gloria.

Offic. ms. S. Michaelis saec. 12. Cod. Bruxellen. 3089. — 4, 1 Est principatus.

356. De s. Michaele et Angelis.

1. Favete nobis seduli,
Sancti precamur angeli,
Nos in conspectu regite
Vestro, de malis demite.

2. Advocati vos hominum
Custodes et fragilium,
Memores intercedite,
Monete Deum veniae.

3. Benignus et omnipotens,
Super rogata largiens,
Facturam suam diligens,
Volens charisma tribuens.

4. Nunc, angeli, precamini,
Estis mundi, perlucidi,
Per vos complentur omnia,
Quae mandat sapientia.

5. Nos lapsos saepe cernitis
In conditoris oculis,
Ergo preces effundite
Et mala cuncta pellite.

6. In coelis modulamini
Harmoniam dulcissimi
Concentus unanimiter,
Nosmet juvate pariter.

7. Voce vos incessabili
Laudes dare nitimini
In citharis angelicis
Cum gaudiis perpetuis.

8. Vestra quidem jucunditas,
Vestra quoque felicitas
Celebris et continua
Est ulla sine clausula.

9. Sumitis de dulcedine,
Ex vitae hoc est arbore,
In paradisi medio
Quae semper consita loco.

10. Hac qui semel gustaverit,
Ultra non esurierit,
Sed erit illi gloria
Per saeculorum saecula.

Offic. ms. S. Michaelis saec. 12. Cod. Bruxellens. 3089. — 10, 1 Fac qui semel.

357. De s. Michaele.

1. Michael Archangelus

Nos potenter eripiat
De antiqui hostis fraude,
Ne cadamus in tartarum
Post solutum mortis debitum.

2. In necessitate ultima
Solita misericordia
Succurrat nobis miseris,
Ne cadamus in tenebris.

3. Adventu suo clarissimo
Effugato diabolo
Repraesentet nostras animas
Redemptori laetissimo.

4. Archangelorum principem,
Nunc Michaelem poscimus,
Ut, Christe, nobis dirigas
Semper in adjutorium.

5. Praestet.

Offic. ms. S. Michaelis saec. 12. Cod. Bruxellen. 3089. — 1, 1 Die Worte Michael Archangelus sind dem Sinne nach erforderlich, dem Versmafse nach aber überzählig, es sei denn etwa eine erste Srophe ausgefallen. Die Doxologie nur begonnen.

358. De s. Michaele.

1. Qui bonorum angelorum
princeps es ac signifer,
Mihi praesto semper esto
pius et salutifer.

2. A caterva me conserva
Tenebrosi angeli,
Ut te duce sim in luce,
Qua sunt boni angeli.

3. Ante thronum te patronum
Pro me pone judicis,
Tu perora et exora
Iram justi vindicis.

4. Labor, quies, nox et dies
A te dentur prospera,
Cogitatus sit paratus
Ad divina opera.

Offic. ms. S. Michaelis saec. 12. Cod. Bruxellen. 3089. — 1, 1 Die Hs. hat nur Archangelorum (statt angelorum); das übrige ist nach Analogie der andern geraden Zeilen ergänzt. — 3, 1 te fehlt.

359. De sancta Monica.

Ad Vesperas.

1. Alma mater generosa
doctoris praecipui
Et affectu viscerosa
Amoris melliflui,
Tua vita virtuosa
Nostro lucet visui.

2. Alta mater pietatis,
Tota in ecclesia
Per exempla sanctitatis
Fulges relucentia
Et affectu caritatis
Viges refragrantia.

3. Sancta mater, amorosa
Erga tuum filium,
Exstitisti lacrimosa
Praecavens exilium,
Ne ex morte criminosa
Sentiret exitium.

4. Eja, Monica beata,
Coeli sedes solio,
Ad superna elevata
Claro luces radio,
Inter angelos locata
Tuo stas cum filio.

5. Tibi, Deo supplicamus
Et piis affectibus
Tuas preces imploramus
Multis cum gemitibus,
Ut per te possideamus
Deum in coelestibus.

6. Sempiternae trinitati
Melos demus dulciter
Trinaeque divinitati
Cantemus hilariter,
Gloria humanitati
Christi sit perenniter.

Brev. ms. Eremitarum s. Augustini saec. 15. Cod. Londinen. Add. 16891.

360. De ss. Nabore et Felice.

1. Arcis aethereae decus es, Christe,
Distinguens singulis pensum laboris,
Propitius nostris annue votis.

2. Ecce purpurata sanguine turma,
Jam certa muneris, expers doloris,
Vernat perspicuo laeta triumpho.

3. Hoc de collegio ignescunt coelo,
Vere felicium cives virorum,
Nabor atque Felix, pignora lucis.

4. Hi per horrificas acti pressuras
Mutant praesentia ense, catasta,
Arens tandem humus excipit artus.

5. Horum fer meritis, rex Jesu, servis,
Ut pulsa supplicum labe suorum
Tribuas felici sede beari.

6. Trinitati decus, honor et virtus,
Inseparabili laus unitati,
Consors imperium omne per aevum.

Brev. ms. Capit. Dusseldorpini saec. 15. Cod. Dusseldorpin. C 64. A. — Psalt ms. Coloniense saec. 15. ex. Cod. Berolinen. Fol. 231. B. — Brev. Coloniense imp. Venetiis 1498. C.

361. De ss. Nabore et Felice.

Ad Matutinum.

1. Sanctorum natalitia
Mater colat ecclesia,
Cantet horum praeconia
Festiva cum laetitia.

2. Urbs Mediolanensium,
Ingens tibi sit gaudium.
Quae fidei tot testium
Es rubra per martyrium.

3. Ad regionem Ligurum
Nabor et Felix transeunt.
Insignes Mauri milites
Certamen forte subeunt.

4. Optantes coelis vivere.
Vitam pro Christo ponere
Malunt et ipsam perdere
Simulacra quam colere.

5. Qui sunt afflicti ungulis,
Equuleo, lampadibus
Et fustibus et carcere,
Fame, caesi capitibus.

6. Quibus dat fortitudinem
Deus in poenis omnibus.
Quas per fidem suppeditant
Adjuti Christi viribus.

7. Certant pro Christo pugiles,
Qui superari nequeunt,
Qui cum palma victoriae
Ad coeli regnum transeunt.

8. Hos martyres frequentibus
Rogemus omnes precibus,
Ut dent nobis auxilium
Apud Mariae filium.

9. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine, etc.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisien. 760.

362. De ss. Nabore et Felice.

Ad Laudes.

1. In Naboris et Felicis
Festo festiva gaudia
Solemniter concelebret
Cum laudibus ecclesia.

2. Gloriosi certaminis
Horum pangat magnalia
Et imitetur martyres
In fidei constantia.

3. Qui contemnentes idola
Gentilitatis frivola,
Mauri relinquunt patriam
Intrantes post Liguriam.

4. Isti spretis divitiis,
Deliciis, honoribus,
Passi pro Christo cupiunt
Choris jungi coelestibus.

5. Propugnatores fidei
Victoriam suscipiunt,
In quos poenis satellites
Tyranni diris saeviunt.

6. Carcer, fames, equuleus,
Ungula, calor igneus
Non flectunt, non percussio
Sanctos nec decollatio.

7. Imperii sub chlamyde
Sancti latere nequeunt,
Superni regis milites
Coeli regnum introeunt.

8. Suis beatis precibus
Apud patrem et filium
Nabor et Felix martyres
Praestent nobis auxilium.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisien. 1760.

363. De sancta Nathalia.

1. Fortis adstabat Nathalia conjux
Inque congressu medio rubentem
Sanguinis sacri lavacro videbat
Laeta maritum.

2. Quin et incudem prior admovebat,
Ut pedes dextramque viri feriret
Lictor, aeternam peragens coronam,
Sancta virago.

3. Ergo, Jesu, rex speciose, cujus
Martyrum claris micat aula gemmis,
Dura quos magnae tribulationis
Lima polivit,

4. Hujus, oramus, prece pande nobis
Januam summae venerationis,
Ut quod hic votis veneramur, illic
Percipiamus.

5. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus exstat.

Diurn. ms. Gerardimontanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 8910.

364. De sancto Nazario et Celso.

Ad Vesperas.

1. Plaudat coelestis curia,
Mundus exsultet laudibus,
Regna confert coelestibus
Christus suis militibus.

2. Ad coeleste rosarium
Rosam transvexit hodie,
Nazaraeus Nazarium,
Jesus, summus rex gloriae.

3. Pugil et martyr inclitus
Fit rosa per martyrium,
Virginitate praeditus
Candescit velut lilium.

4. Per odoris fragrantiam,
Quam profudit ex tumulo,
Patet, quantam munditiam
Conservarat in vasculo.

5. Ad celsum thronum gloriae
Puer Celsus attollitur,
Dum poenas contumeliae
Pro rege celso patitur.

6. Aeterno regi gloria
Pro martyrum virtutibus,
Qui nobis coeli gaudia
Praestet eorum precibus.

Brev. ms. S. Nazarii Carcassonen. saec. 14. Cod. Parisien. 1036.

365. De sancto Nazario.

Ad Laudes.

1. Adest triumphus nobilis
De beatis martyribus,
Quos Christus, rex mirabilis,
Coronat in coelestibus.

2. Pugnat verbo, miraculis
Fortis pugil Nazarius
Et devictis incredulis
Christi refulget radio.

3. Verbis ac signis emicans
Mittitur in exilium,
Fidem constanter praedicans
Trahitur ad martyrium.

4. Celsus sequens Nazarium
In excelsum deducitur
Per celsum regem omnium,
Pro quo gaudens occiditur.

5. Aeterno regi gloria

Brev. ms. S. Nazarii Carcassonen. saec. 14. Cod. Parisien. 1036.

366. De ss. Nazario et Celso.

Ad Laudes.

1. Lux, via, vita, veritas,
Jesu, salus, principium,
Laus, decus, amor, praemium,
Virtus, corona martyrum.

2. Salvator omnium, Deus,
Votis fave benignius
Laudesque tibi debitas
Audi, precamur, mitius.

3. Confiteantur, Domine,
Omnia tibi opera,
Benedicentes jugiter
Tuam loquantur gloriam.

4. Qui lux es orta gentibus
In tenebris sedentibus,
Per omne mundi spatium
Aeternus sol irradians.

5. Hoc lumen tuis servulis
Per gloriosos martyres
Nazarium atque Celsum
Nobis refulsit coelitus.

6. Nunc vos preccamur supplices,
Ut vestra nos suffragia
Mortis ereptos faucibus
Perpetuo custodiant.

7. Sit trinitati gloria,
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

Antiph. ms. Eduense saec. 13. in Cod. Semin. Eduen. 151*. A. — Brev. ms. Eduense saec. 15. Cod. Carpentoracten. 78. B. — Brev. ms. Belnense saec. 15. Cod. Divionen. 112. C. — Brev. ms. Eduense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. IV° 18. D. — Antiph. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 123. E. — Antiph. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 150. F. — Brev. ms. Eduense saec. 15. Cod. Semin. Eduen. 135. G. — Brev. Eduense imp. Parisiis. 1489. H. — Brev. Belnense imp. s. l. et a. I. — 6, 1 praedicamur D.

367. De sancto Necterio.

Ad Vesperas.

1. Pangat vox laeta omnium
Coeli civem Necterium,
Cujus post anni spatia
Recurrunt natalitia.

2. Qui morum privilegio
Provectus sacerdotio
Per vitae continentiam
Deo se fecit hostiam.

3. A mortis exterminio
Petri surgens imperio
Coelestis verbi gratiam
Diffudit per Arverniam.

4. Solutus carnis pondere.
Plenus virtutis opere,
Cum meritorum opera
Poli conscendit atria.

5. Sit cum patre laus filio,
Sit gratiarum actio,
Qui devotos Necterio
Ditet coelesti praemio.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 70. A. — Brev. ms. Claromontense anni 1335. Cod. Claromonten. A 4 c. B. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisien. 1274. C. — Brev. ms. Claromontense anni 1454. Cod. Claromonten. 73. D. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisien. Nouv. acq. 116. E. — 1, 1 laeta vox BD.

368. De sancto Necterio.

Ad Laudes.

1. Coelo splendens aetherea,
Necteri pater, laurea,
Qui per arma justitiae
Sumpsisti palmam gloriae;

2. Orantis Petri studio
Surgens a mortis taedio,
Virum per precem humilem
Resuscitasti nobilem.

3. Crebris frequens miraculis,
Pollens signorum titulis,
Summi regis felicia
Penetrasti palatia.

4. In hora mortis aspera
Tuos ab hoste libera,
Ut Dei beneficiis
Vitae fruamur gaudiis.

5. Deus, de Deo genitus
Et pietatis spiritus,
Nos ducas per Necterium
Ad summum coeli bravium.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 70. A. — Brev. ms. Claromontense anni 1335. Cod. Claromonten. A 4 c. B. — Brev. ms Claromontense saec. 15. Cod. Parisien. 1274. C. — Brev. ms. Claromontense anni 1454. Cod. Claromonten. 73. D. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisien. Nouv. acq. 116. E. — 1, 1 aethera ABD. — 5, 3 per Necterium fehlt C. — 5, 4 fehlt C.

369. De sancto Nicasio.

1. Exsultemus et laetemur
in triumpho martyris,
Quem rex regum coronavit
in die certaminis,
Cum quo soror triumphavit
virgo, sponsa virginis.

2. Hic est martyr Deo dignus
pontifex Nicasius,
Qui venturae super urbes
irae Dei praescius
Pro salute gregis orat
pius pastor anxius.

3. Tela ruunt, hostes furunt,
Urbs Remorum quatitur,
Miles Christi dum furentes
Barbaros alloquitur,
Mortem vincit, astra scandit,
vultu Dei fruitur.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Orat. ms. Corssendoncanum saec. 15. Cod. Leodien. 397. — Obwohl nur einem Devotional entnommen, ist das Lied doch seiner ganzen Anlage nach unverkennbar ein liturgischer Hymnus.

370. De sancto Nicasio.

Ad Vesperas.

1. Vexilla regis omnium
In te, Nicasi, rutilant,
Dum tecum greges civium
Christo victores rutilant.

2. Tu divae legis legifer,
Tu sacri belli signifer,
Qui gregem doctum mystice
Turmae jungis angelicae.

3. Tu solus non ingrederis
Sed amplius prae ceteris.
Dum cum summis signiferis,
Martyr beate, jungeris.

4. Purpura fusi sanguinis
Et byssinum munditiae
Actum tui certaminis
Ornant in statu gloriae.

5. Apud trinum et simplicem,
Qui pater, proles, spiritus,
Plebem commendet supplicem
Candidatus exercitus.

Hymn. ms. S. Nicasii saec. 15/16. Cod. Remen. 198. A. — Hymn. ms. S. Nicasii saec. 15/16. Cod. Remen. 285. B.

371. De sancto Nicasio.

Ad Nocturnum.

1. De superno spiramine
Rosae fragrant et lilia,
Dum sequitur in sanguine
Nicasium Eutropia.

2. Ex divinis oraculis
Praevidit cura praesulis,
Quod pro suis piaculis
Pateret urbs periculis.

3. Irruunt truces barbari,
Causam sanguini deputant
Et ut furentes tartari
Beatas vitas amputant.

4. Pro ovibus cum ovibus
Morti se pastor objicit,
Qui de veris pastoribus
Christi decretum perficit.

5. Apud trinum et simplicem.

Hymn. ms. S. Nicasii saec. 15/16. Cod. Remen. 198. A. — Hymn. ms. S. Nicasii saec. 15/16. Cod. Remen. 285. B.

372. De sancto Nicasio.

Ad Laudes.

1. Caput beatum sustulit
Corpus sub forma funebri,
Sanctus hoc sibi praetulit
Miraculo tam celebri.

2. Passus in porta virginis,
Portas ingressus luminis,
Portae succedit fidei
Fructus ventris virginei.

3. Fragrans odor, vox intonans,
Lux de summis lapidibus,
Majestas Dei personans
Super sacris funeribus

4. Cruentos hostes arguunt
Et exturbant de finibus,
Christum victorem adstruunt
In beatis martyribus.

5. Remis remittit superis
Remensos sacri muneris,
Remissis remis sceleris
Remitte Deus misceris.

6. Apud trinum et simplicem,
Qui pater, proles, spiritus,
Plebem commendet supplicem
Candidatus exercitus.

Hymn. ms. S. Nicasii saec. 15/16. Cod. Remen. 284. A. — Hymn. ms. S. Nicasii saec. 15/16. Cod. Remen. 285. B.

373. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Veneranda solemnitas
Nobis refertur annua,
Qua Nicolaus omnium
Concivis est coelestium.

2. Qui regimen pontificis
Coelesti voce suscipit,
Pulsat patris inopiam
Cum virginum infamia.

3. Nautis mare pacificat,
Regem terret per somnia,
Prece fugat daemonia,
Liquoris fraudem reserat.

4. Nicolae sanctissime,
Clavis coelestis januae,
Precis tuae juvamine
Nos a peccatis ablue.

5. Praesta, pater ingenite,
Jesu cum sancto flamine,
Ut Nicolai precibus
Jungamur coeli civibus.

Cod. Ebroicen. (ol. Liren.) 17. saec. 12. add. saec. 12/13. — Als Divisio ad Laudes von Exsultet aula coelica (Daniel IV. 181); indes augenscheinlich ein selbständiger Hymnus.

374. De sancto Nicolao.

Ad Vesperas.

1. Omnium clemens petimus creator,
Ut pius nostros miserans labores
Supplices cantus humilis catervae
Votaque sumas.

2. Hanc diem grato celebrare festo
Da, pater, carus tibi Nicolaus
Pontifex in qua requiem supernam
Laetus adivit.

3. Interest caris ubi nunc choreis
Atque sanctorum comes angelorum,
In tuae vitam deitatis almam
Laude perennat.

4. Unde nos crebro miseros revisat,
Quos adhuc terrae gravat incolatus,
Liberos carnis petat hos vocari,
Quo manet ipse.

5. Qua potens fuit vita in caduca,
Nunc datam multo sibi ditiorem
Gratiam monstret super impetrandis,
Quaeque rogabit.

6. Gloriae summum decus atque laudis,
Trinitas verax Deus unitasque,
Sit tibi semper, sit ubique cuncto
Fine remoto.

Brev. ms. Vindocinense saec. 13. Cod. Vindocinen. 17. E. A. — Brev. ms. Vindocinense saec. 15. Cod. Vindocinen. 187. B.

375. De sancto Nicolao.

Ad Nocturnum.

1. Inter illa claritatis
altae luminaria
Qua Sion beata mater
micat multifaria,
Nicolaus gloriosa
fulget eminentia.

2. Hunc origo procreavit
stirpe nobilissima,
Ipse sed nativitatis
comprimens fastigia
Servituti conditoris
junxit innocentiam.

3. In caduca carne degens,
caritatis fervidae
In Deum fratremque firmus
copioso munere,
Vana mundi vilipendit
ob supernum vivere.

4. Corpus edomans in imum
paene sese saeviit,
Imbecilles universos
corde patris pertulit,
Sancta vitae seminare
verba nunquam destitit.

5. Sospitatis multiformis
distributor efficax
Repulit maligna cuncta
quaeque praebens commoda,
Tersit omnis moestus illo
leniente lacrimam.

6. Gloriae, virtutis atque
laudis excellentia
Summa patri filioque
sit sacroque flamini,
Una semper et coaeva
saeculorum saeculis.

Brev. ms. Vindocinense saec. 13. Cod. Vindocinen. 17. E. A. — Brev. ms. Vindocinense saec. 15. Cod. Vindocinen. 187. B. — 1, 3 Quae Sion A. — 1. 4 multifariam AB. — 2. 5 Servitutis A. — Mel.: Pange lingua.

376. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Christe, regum rex et auctor
in bonis potentium,
In beato Nicolao,
dignitate praesulum,
Nos tuae fac laudis aptum
consonare canticum.

2. Praeditum confessionis
Quem decore granditer
Sic ubique das lucere
Res per admirabiles,
Totus orbis ut per illum
te benignum praedicet.

3. Paupertatis patris ante
motus indigentia
Quam querelis tactus ullis
absque conscientia
Subvenire praesto rarae
fraudis arte cogitat.

4. Propriae nocturnus arcae
praedo furtim cursitat,
Anxium ditat, repellit
Virginum ludibria,
Purgat auro sic utrosque
Sordis ex infamia.

5. Naufragis furente ponto
mox vocatus adfuit
Imperavitque procellis
ac metu praemortuis,
Non quietum dico pontum,
immo vitam reddidit.

6. Gloria virtutis atque
laudis excellentia,
Summa patri filioque
sit sacroque flamini,
Una semper et coaeva
saeculorum saeculis.

Brev. ms. Vindocinense saec. 13. Cod. Vindocinen. 17 E. A. — Brev. ms. Vindocinense saec. 15. Cod. Vindocinen. 187. B. — Mel.: Pange lingua.

377. De sancto Nicolao.

1. Praesulis sancti gesta Nicolai
Supplici voce mira resonemus,
Ut ad Olympum hoc in calle nostros
Dirigat gressus.

2. Alumnus cunis, deditus supernis,
Feria quarta semel atque sexta
Tantum sugebat macerando corpus
Ubera matris.

3. Nesciens castus fomitem pudoris
Nivei, gratus cunctis ac dilectus,
Meruit felix voce praesulatum
Coelitus lapsa.

4. Virginum famam redemit illaesam,
Quarum parenti subvenit egenti,
Paeneque fracta rate naufragantes
Traxit ad portum.

5. De quaque puppi modios frumenti
Accepit centum fameliciorum
Consultus neque minuit acervum,
Quo nautae stupent.

6. Commissas opes Iconi latrones
Restituere sancto revelante
Consolatusque barbarus ad fidem
Mox properavit.

7. Tres accusatos militum tribunos
Sceleris et tres alios insontes
Mox decollandos occurrens superstes
Solvit illaesos.

8. Simulacrumque repulit Dianae,
Cujus in aequor qui spergitur liquor,
Amnem comburens letifer ab ipso
Panditur nautis.

9. Oleum sacro manat e sepulchro,
Suos linitos quod sanat aegrotos,
Laticis fonsque praebentis salutem
Corporis hausti.

10. Confessor alme Christi, Nicolae,
Nos in hoc saecli ponto naufragantes
Duc ad salutis portum, supplicamus
Corde devoto.

11. Te, Deus simplex pariterque trine,
Quem cives coeli collaudant superni,
Supplices nostros, quaesumus, reatus
Dele, redemptor.

Antiph. ms. Confratern. S. Nicolai saec. 15. Cod. Mazarin 464 (261). — Mel.: Ut queant laxis. — 3, 1 fomite. — 5, 2 familichiorum.

378. De sancto Nicolao.

1. Cum quidam fluctuantia
Nautae sulcarent maria,
Tempestas illis obvia
Fit maris inter agmina.

2. Ab illis clamor tollitur,
Quod tempestas exoritur,
Quo ipsa navis tunditur,
Quod paene tota mergitur.

3. Sed hoc videntes miseri
Fundo timentes ingeri,
Omnes clamabant: subveni,
Nicolae, serve Dei.

4. Si nos hic pater deseris,
Auctor tu nostri funeris,
Periclitantis aderis,
Ergo succurre miseris.

5. Illi dicentes talia
Viderunt Dei gratia
Nicolaum per maria
Tendentem ad pericula.

6. Praesta, pater ingenite,
Proles cum sancto flamine,
Ut Nicolai precibus
Jungamur in coelestibus.

Antiph. ms. Confratern. S. Nicolai saec. 15. Cod. Mazarin. 464 (261). — Der Hymnus ist dem bekannten Exsultet aula regia (coelica), bei Mone 1097, angehängt. Dieser schliefst aber mit der Strophe Aufer mortis stipendia auch inhaltlich ab, während dies Lied ein völlig neues Thema beginnt. — 5, 4 Tendente.

379. In Translatione s. Nicolai.

Ad Vesperas.

1. Adest nunc dies celebris,
Qua beatus Nicolaus
Ab oris cunctis Myreis
Barum transferri voluit.

2. Tribus Barenses puppibus
Regna petunt Neptunia,
Ancora prora jacitur,
Dum loca cernunt Myrea.

3. Explorantes sic adeunt
Et ineunt ecclesiam
Plebe cleroque vacuam
Tribus demptis custodibus.

4. Ferunt Barenses tumulum,
Marmor malleo frangitur,
Fragrat corpus et tollitur
Protinus in navigium.

5. Rates solvunt et ancoram
Trahunt, gaudentes redeunt,
Celeriter ad patriam
Originis adveniunt.

6. Barensis tota civitas
Gaudens occurrit obviam,
Multa fiunt miracula
Per ipsius suffragia.

7. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis
Cum patre, sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Antiph. ms. Confrat. S. Nicolai saec. 15. Cod. Mazarin. 464 (261). — 3, 2 Et afferunt Hs. — Mel.: Exsultet aula coelica.

380. In Translatione s. Nicolai.

Ad Nocturnum.

1. Nicolai praeconia
Pangat mater ecclesia,
Meruit ab infantia
Summa coelorum gaudia.

2. Castitate hic nimia,
Caritate eximia
Fulsit atque prudentia
Cunctis Christi clementia.

3. Auri puellis datio,
Mira sua subsidia,
Nautarum liberatio
Monstrant haec et jejunia.

4. Panis pavit edulio
Viros unius gratia
Octoginta, tunc gaudio
Myrae repletur patria,

5. Pergunt Barenses puppibus
Armis Myram cum mercibus,
Corpus tollunt custodibus
Ferunt et in navigia.

6. Quibusdam dividentibus
Id, stant omnes turbinibus,
Agitantur, reddentibus
Transfretant tunc in propria.

7. Nicolae, nos respice,
Tua praesta solatia,
Pacis consortes coelicae
Fac, precamur, clementia.

8. Trinitati mirificae
Sit laus ingens et gloria
Genitricique deicae
Hic et perenni curia.

Antiph. ms. Confratern. S. Nicolai saec. 15. Cod. Mazarin. 464 (261). Mel.: Exsultet aula coelica.

381. In Translatione s. Nicolai.

Ad Laudes.

1. Mundus eructet praesulis
Nicolai solemnia,
Fulget cunctis hic saeculis
Mira praestans auxilia.

2. Innumeris miraculis,
Sic testatur ecclesia,
Morti, morbis, periculis
Juvat precantes gratia.

3. Carne solennis rapitur
Degens spiritus coelitus
Ab angelisque vehitur,
Cernit arcana penitus.

4. Decollandos tres milites
Accusatos et principes
Tres petentes praesidia
Juvit mortis angustia.

5. Igne daemone ponitur,
Infans, illaesus redditur.
Sacrosancto revertitur
Mater magna dans gaudia.

6. Quaeque puppium accipit
Prece centum hic modia
Frumenti nec id minuit.
Stupet tunc Alexandria.

7. Carnis dum solvit debitum,
Coetus adsunt angelici,
Christo reddidit spiritum.
Canunt gaudentes coelici.

8. O confessor, qui laurea
Coronaris glorifice,
Patria fac aetherea
Ut vivamus pacifice.

9. Trinitati mirificae.

Antiph. ms. Confrat. S. Nicolai saec. 15. Cod. Mazarin. 464 (261).

382. De sancto Nicolao.

Ad Vesperas.

1. Coelestis aulae militem,
Nicolaum antistitem,
Magnificemus laudibus
Cum angelorum coetibus.

2. Mira Dei clementia
Dona dedit ingentia
Dilecto Christi famulo,
Dum esset in hoc saeculo.

3. Parvus infans abstinuit,
Compassione viguit,
Fecit, ne corpus virginum
Foedaret labes criminum.

4. Vir praedilectus populis
Praefulget in miraculis,
Confessorum praecipuus
Toti mundo conspicuus.

5. Archimandrita providus,
Salutis plebis avidus,
Sacerdos nobilissimus,
Omni laude dignissimus.

6. Ejus devoti gaudeant,
Hunc in patronum habeant,
In arduis et asperis
Libens succurrit miseris.

7. Qui multos de ludibrio
Et mortis praecipitio
Et de statu miseriae
Traxit ad vitam gratiae.

8. Hic nautis se vocantibus,
De vita desperantibus,
Dum praestat adminiculum,
Vitant mortis periculum.

9. De carnis tabernaculo
Ex hoc praesenti saeculo
Laetus ivit in patriam
Ad paradisi gloriam.

10. Auctori mirabilium
Laus, honor et imperium,
Per Nicolai merita
Det regna nobis inclita.

Orat. ms. Juliani Regin saec. 15. Cod. Parisien. 757.

383. De sancto Nicolao.

Ad Matutinum.

1. Miri floris et odoris
Nicolaus ut lilium
In te crevit, redolevit,
Christe, redemptor omnium.

2. Abstinentem lac sugentem
Tui cultorem nominis
Inspirasti, quem amasti,
Consors paterni luminis.

3. Hic confessor intercessor
Abstersit labem criminum
Te laudando, venerando
Jesu, corona virginum.

4. Pastor bonus tulit onus
Amator innocentiae,
Quem decoras, quem honoras,
Summae Deus clementiae.

5. Vir colendus, extollendus,
Christi dum gessit opera,
Tunc a mane tenet plane
Aeterna Christi munera.

6. Praesul dignus, vir benignus
Regnat cum coeli civibus,
Cedat planctus, sonet cantus,
Exsultet coelum laudibus.

7. Dum profecit, mira fecit
In cunctis perfectissime,
In te vivit, te cupivit,
Aeterne rex altissime.

8. Pater sancte, te juvante
Fac simus puri, nividi,
Mina coetum nostrum laetum
Ad coenam agni providi.

Orat. ms. Juliani Regin saec. 15. Cod. Parisien. 757.

384. De sancto Nicolao.

In Laudibus.

1. Nicolaus, cujus laus
Ore crebrescit populi,
Per te nimis fit sublimis,
Jesu, salvator saeculi.

2. Fuit totus vir devotus,
Mirabilis, fecundior,
Quem firmasti, sublimasti,
Jesu, corona celsior.

3. Vir pudicus et amicus,
Suasor castimoniae,
Te, dum vixit, benedixit,
Splendor paternae gloriae.

4. Tibi gratos commendatos
Nicolai suffragio
Tecum stare fac, regnare,
Jesu, nostra redemptio.

5. Hujus sancti viri tanti,
Pleni bonorum operum,
Nos consortes redde fortes,
Conditor alme siderum.

6. Cujus pulchro de sepulchro
Liquor emanat inclitus,
Nos sanando, liberando
Veni, creator spiritus.

7. Hunc habere fac nos vere
Ut speculum munditiae,
Nos te duce reple luce
Jam, Christe, sol justitiae.

8. Nicolae, servos trahe
Nos tecum ad coelestia,
Exorando, praeparando
Beata nobis gaudia.

Orat. ms. Juliani Regin saec. 15. Cod. Parisien. 757.

385. De sancto Nicolao.

1. In Myrea civitate
Archipraesul poscitur,
Deo dignus sanctitate
De coelis exprimitur,
Nicolaus novitate
Mira sic eligitur.

2. Praesul praesulem gerebat
Manu, lingua, pectore,
Forma gregis, quod docebat,
Adimplebat opere,
Terram cordis excolebat
In virtutum vomere.

3. Quosdam nautas tumescentes
Fluctus torquent aequoris,
Venti ruunt in rudentes,
Nulla spes est ancoris,
Stupent manus, hebent mentes,
Virtus languet pectoris.

4. Navis praeceps dum rotatur,
Vitae spes praescinditur,
Nicolaus invocatur,
Adest, qui sic loquitur:
Ecce adsum, mox sedatur
Tumor, timor solvitur.

5. Gloria sit trinitati,
Simplex honor simplici,
Trinus detur unitati
Cum laude multiplici,
Qui virtutem caritati
Doni dat mirifici.

Brev. Othinense imp. Lubecae. 1497.

386. De sancto Nicolao.

Ad Completorium.

1. Magne pater Nicolae,
summo patri proxime,
Admiranda, qua praecellis
apud eum, gratia
A commissis nos emunda,
ne cadamus, sustine.

2. Jam per terras et per mare
fama celeberrime,
Refovendo tribulatos,
relevando naufragos,
Trahe nos ad portum vitae
de mundi turbinibus.

3. Copiosae caritatis
Nicolae pontifex,
Condescende, supplicamus,
ad te suspirantibus,
Ut exutos gravi carne
pertrahas ad superos.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque
inclito paraclito,
Cui laus sit et potestas
per aeterna saecula.

Nocturn. ms. Veteris Montis saec. 14. Cod. Dusseldorpin. C 61. A. — Brev. ms. Gerundense saec. 15. Cod. Parisien. 1309. B. — 1, 3 qui praecellis A. — 2, 5 sq. fehlen A; dafür repetiert es 1, 5 sq. A commissis etc. — Str. 3 fehlt B; nach 3, 2 schiebt A ein: Qui cum Deo gloriaris, was überflüssig und versstörend.

387. De sancto Nicolao.

1. Magne pater Nicolae,
Summo patri proxime,
Admiranda, qua praecellis,
Apud Deum gratia,

2. A commissis nos emundans
ne cadamus, sustine,
Jam per terras et per mare
Fama celeberrime.

3. Copiosae caritatis
Nicolae pontifex,
Qui cum Deo gloriaris
In coeli palatio,

4. Condescende, supplicamus,
Ad te suspirantibus
Et exutos gravi carne
Pertrahas ad superos.

5. Laus, honor, virtus etc.

Brev. ms. S. Petri de Cultura. saec. 13/14. Cod. Cenomannen. 188. — Eine andere Redaktion des vorigen Liedes, diesmal in vierzeiligen Strophen.

388. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. In Nicolai laudibus
Concordent corda vocibus,
Ut piis ejus precibus
Regnemus in coelestibus.

2. In cunis plenus gratia
Observabat jejunia,
Quarta sextaque feria
Semel sumens edulia.

3. Castus sub annis teneris
Sacris imbutus literis
Compatiensque miseris
Meretur jungi superis.

4. Virgines auri pretio
Observat ab opprobrio
Et nautis in naufragio
Praesens adest praesidio.

5. Divina revelatio
Dat ei sacerdotium,
Ex tumba manat unctio,
Quae dat aegris remedium.

6. Sit trinitati gloria,
Sit honor, sit laus debita,
Nobisque detur venia
Per Nicolai merita.

Brev. ms. Vasatense saec. 15. Cod. Cantabrigen. Kk VI 49. A. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 69. B. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bibl. Archiep. Remen. s. n. C. — 4, 1 auri praevio B.

389. De sancto Nicolao.

1. Psallat haec concio
Sonora carmina
Sancto Nicolao,
Praedulcia praeconia.

2. Dum cunis jacuit
In pueritia,
Exemplo placuit
Dei servans jejunia.

3. Laus, qui apparuit,
Fecit miracula,
Puellas salvavit
Tres de virili macula.

4. Et tres suscitavit
De morte caritas,
Pro eis oravit
Deum, qui fuit mundi flos.

5. Nautae navigantes
In maris turbine
Salvari volentes
Votumque vovunt numine.

6. O gemma praesulum,
Qui es in gloria,
Honor sacerdotum,
Nostra resolve vincula.

Cod. Londinen. Cleop. CVII. saec. 13. — 2, 4 Domini servans. — 4, 2 lies de morte mortuos? — 5, 3 Salvare. — 5, 4 vonit. — 6, 4 resolve. — Das seltene und eigentümliche Versmafs ist aus dem Metrum des Sacris solemniis (Umbildung des Asclepiadeum tertium) dadurch enstanden, dafs von den drei Langzeilen je eine ganze und eine halbe unterdrückt ist.

390. De sancto Nicolao.

1. Spes peccatorum maxima
Et confessorum gloria,
Nicolae dulcissime,
Te nunc laudantes respice.

2. In vocibus laudantium
Votis adspira cordium,
Quae pulsantur singultibus
Pro admissis criminibus.

3. Precamur, amantissime,
Te semper intercedere,
Ut nobis supplicantibus
Propitietur Dominus.

4. Ora patrem per filium,
Per quem redemit saeculum,
Ut nos amborum spiritus
Tueatur ab hostibus.

5. Solvat nexorum vincula,
Cuncta repellat noxia,
Post hujus vitae terminum
Perenne donet gaudium.

6. Sit trinitati gloria,
Cujus laetamur gratia
Angelicis spiritibus
Sit laus cum sanctis omnibus.

Nocturn. ms. Veteris Montis saec. 14. Cod. Dusseldorpin. C 61. — 6, 3 Angelicorum spiritus.

391. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Pange, lingua, gloriosi
Nicolai gaudium,
Confessoris pretiosi
Sonet laus in medium,
Ut illustret tenebrosi
Cordis domicilium.

2. Ortus primo comprobatur
Illustri prosapia,
Sed plus tamen commendatur
Morum affluentia,
Adolescens amplexatur
Literarum studia.

3. In aetate non matura
Jacens in cunabulis
Bino die fuit cura,
Inauditum saeculis,
Semel lactis nutritura,
Jam fulgens miraculis.

4. Gregem sibi commendatum
Pastoris sagacia
Circumivit emendatum
Doctrinae scientia,
Dignum praebens famulatum
Cunctis et solatia.

5. Pretiosum dat liquorem
Tumba tanti praesulis,
Morbum sanat et languorem,
Dat salutem populis,
Nautae clamant et clamorem
Audit in periculis.

6. Vitae reddit novitati
Defunctum in bivio,
Baptizatur auri dati
Judaeus judicio,
Vas parentis voluntati
Redditur cum filio.

7. O quam probat hunc pastorem
Munerum largitio,
Puellarum qui pudorem
Pulsat auri pretio,
Hunc commendat largitorem
Farris augmentatio.

8. Sit laus summae trinitati,
Virtus et victoria,
Quae det nobis, ut beati
Nicolai gaudia
Assequamur laureati
Post vitam in patria.

Brev. ms. Tarantasiense saec. 15. Cod. Parisien. 18000.

392. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. In terris praedicabilem
Et in coelis laudabilem
Nicolaum pontificem
Magnificemus invicem.

2. Quem ab ipsis uberibus
Elegit sibi Dominus
Multis signis et variis
Decorando prodigiis.

3. Nam dum foret puerulus
Boni malive nescius,
Indicabant primordia,
Quid darent consequentia.

4. Jam discernebat medias
Jejuniorum ferias,
Quartam et sextam dicimus,
Semel sumptis uberibus.

5. Declarabat virtutibus
Se florere divinitus,
Dum aetas magis valida
Membra daret jam solida.

6. Quae dum ordine congruo
Concreverunt in puero,
Tunc coeperunt perplurima
Apparere miracula.

7. Defuncto quodam praesule
Gentis Myrorum Lyciae,
Dum successor requiritur,
Hic coelitus elegitur.

8. Nam geminis Christicolis
Visio datur similis,
Illum praesulem noverint,
Qui primus templum venerit.

9. Surgentes mane propere
Ante fores ecclesiae
Nicolaum reperiunt,
Quem manu inserta capiunt.

10. Auditur vox a populis
De coelo admirabilis:
Hic est praesul, quem Dominus
Nobis dedit altissimus.

11. Ut visio praeceperat,
Hunc plebs in sede collocat,
Gloriam Deo resonat,
Qui sic suos mirificat.

12. Hunc nos patronum quaerimus,
Hunc advocatum petimus,
Ut mereamur coelitus
Ejus juvari precibus.

13. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Italo-Monasticum saec. 13. Cod. Londinen. Add. 15206.

393. De sancto Nicolao.

Ad Nocturnum.

1. Nicolai collaudetur
virtus et potentia,
Voce, votis imitetur
Hunc gaudens ecclesia,
Qui dum adhuc lactaretur,
Servabat jejunia.

2. Illustravit hunc parentum
Clara procreatio,
Sed plus fuit per ornatum
Morum illustratio,
Summum cepit praesulatum
Angelico nuntio.

3. Nauta per hunc liberatur
A maris naufragio,
Auri viso baptizatur
Judaeus judicio,
A defunctis relevatur
Defunctus in bivio.

4. Auro dato virginalis
Pulsatur infamia
Et earum patrialis
Levatur inedia,
Sanctum probat specialis
Farris abundantia.

5. O quam ornant sanctum Dei
Virtutum insignia,
Nam ex ejus tumba manat
Unctionis copia,
Quae linitos omnes sanat
Per ejus suffragia.

6. O praesul, nos tuearis
A maris voragine,
Qni in supernis laetaris
Cum superno numine
Nec precantes patiaris
Naufragari crimine.

7. Tibi soli laus sit, Christe,
Virtus et imperium,
Cum quo regnat, vivit iste,
Cleri patrocinium,
Qui precetur pro nobis te,
Finem et initium.

Brev. FF. Ordinis ss. Trinitis de redempt. captiv. imp. Parisiis. 1515.

394. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Cleri patrem et patronum
Nicolaum praedicet
Laete promens vocis sonum
Clerus et magnificet,
Se mens prompta, se cor pronum
Sono vocis applicet.

2. Graecus omnis et Latinus,
Lingua, tribus, natio,
Orbis terrae, mare, sinus,
Sexus et conditio,
Hospes, civis, peregrinus
Pari psallat studio.

3. Semper dedit, dat et dabit
Cunctis beneficia
Praesul, cujus nunquam abit
Nomen et memoria,
Quia justus germinabit
Florens sicut lilia.

4. Hic in carne constitutus
Carnis sprevit opera,
Nihil agens aut locutus
Nisi salutifera,
Vinclis carnis absolutus
Tandem scandit aethera.

5. Quae sit virtus castitatis,
In praesenti saeculo
Per oleum patet satis,
Quod manat de tumulo
Et dat munus sospitatis
Imploranti populo.

6. Nicolae, qui dulcoris
Gaudes privilegio,
Pio summi genitoris
Nos commenda filio,
Corda nostra sacri roris
Mundet ut infusio.

7. Sit laus summae trinitati,
Virtus et victoria,
Quae det nobis, ut beati
Nicolai gaudia
Assequamur laureati
Post vitam in patria.

Brev. ms. Ebroicense saec. 14. Cod. Parisien. Nouv. acq. 388. A. — Brev. ms. S. Martini Turonen. saec. 14. Cod. Turonen. 149. B. — Brev. ms. Xanctonense saec. 15. Cod. Parisien. 1307. C. — Brev. ms. Cenomannense saec. 15. Cod. Parisien. 1302. D. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisien. 1273. E. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. A 4 b. F. — Brev. ms. Pictaviense saec. 15. Cod. Pictavien. 39. G. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 147—48. H. — Brev. Cabilonense imp. saec. 15/16. I.

1, 2 Nicolaum praesulem F. — 1, 3 promans E. — 1, 6 amplicet DF. — 2, 1 Clerus omnis et F. — 2, 3 mare simul F. — Str. 3 fehlt F. — 3, 3 nunquam obit E. — Str. 4 und 5 fehlen F. — 5, 1 fit munus castitatis C. — 6, 2 Gaudens DE. — Str. 6 fehlt BH.

395. De sancto Nicolao.

1. Rex confessorum gloria
Et martyrum victoria,
Vota, quae tibi solvimus,
Cape benignis auribus.

2. Dies illuxit rutila,
Moeroris fugans nubila,
Quae te fautore populo
Fit salubris catholico.

3. Hac Nicolaus inclitus,
Vir Deo dilectissimus,
Carnis exutus sarcina
Coeli migrat ad atria.

4. Hunc patrem vita coelibem
Terris corporis praesulem
Altrix tenuit Graecia,
Cujus persensit merita.

5. Cujus virtute languidi
Sani fiunt et validi,
Per hunc divino munere
Caeci donantur lumine.

6. Surdis auditum reparat,
Defunctum corpus excitat,
Curat orationibus
Possessos a daemonibus.

7. Cujus factum mirabile
Specialiter pandere,
Manus deficit scribere,
Lingua nequit exprimere.

8. Christe, sanctorum Domine,
Homo factus ex homine,
Tu Nicolai precibus
Exaudi, quae nos petimus.

Brev. ms. Grassense saec. 14. Cod. Carpentoracten. 43. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 14. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — Brev. ms. Italo-Monastic. saec. 13. Cod. Londinen. Add. 15206. C. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisien. 1304. D. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisien. (Arsen.) 278. E. — Brev. Grassense imp. s. l. et a. F.

2, 1 rutilans. BCDE. — 2, 2 Nemoris D; nebulas E. — 2, 3 factore BCD. — 4, 1 Nunc patrem D. — 4, 2 corpore ACDF. — 4, 3 Altris renuit D; gratia BC. — 4, 4 praesensit CE, praesens sit F, praestensit D. — 5, 4 Caecis donantur lumina BCE. — 7, 2 Specialiter pandere fehlt D. — 8, 3 Nicolaus precibus specialiter D.

396. De sancto Nicolao.

Ad Vesperas.

1. O cleri fulgens lilium,
O praesulum laetitia,
In hac nobis tristitia
Succurre dans auxilium.

2. Thesauros tuos aperi
Nos tua ditans gratia,
Vincamur ne fallacia
Crudelis hostis inferi.

3. Qui populum famelicum
Piis orationibus
Replesti et sermonibus
Frumentum mittens coelicum.

4. Scholares neci traditos,
Crudeles quos occiderant,
Sicut in te confiderant,
Servasti vitae deditos.

5. O pontifex almifice,
Compurga nostros precibus
Reatus et a necibus
Nos duris tutos effice.

6. Te, Nicolae, laudibus
Effert fidelis natio,
Hanc ergo collaudatio
Ab hostis servet fraudibus.

7. Praestet pater ingenitus
Per Nicolai merita,
Ut peccata praeterita
Sint nobis dempta penitus.

Brev. Illerdense imp. Illerdae 1479.

397. De s. Nicolao Tolentino.

Ad Vesperas.

1. Fundant fratres vota precum
Et laetentur hodie
Collaudentque regem regum,
Qui sanctae memoriae
Tolentini Nicolaum
Fecit dignum gloriae.

2. Nicolaus hic beatus
Sancto fultus flamine,
Augustinum imitatus
Sacro sub regimine,
Traxit moras incolatus
Pii patris ordine.

3. Simplex, rectus, Deum timens
Tenet innocentiam,
Rationi carnem subdens
Servat patientiam,
Augustini iter carpens
Pergit vitae semitam.

4. Pauper, castus, mansuetus,
Justus, prudens, humilis,
Viscerosus et quietus,
Virtutum amabilis
Et ornatus atque fretus
Claruit miraculis.

5. Salit claudus, fatur mutus
Hujus sancti meritis,
Liberatur compeditus,
Portus datur naufragis,
Audit surdus, videt caecus,
Vitam reddit mortuis.

6. Emundator leprosorum,
O pater mirifice,
Sublevator oppressorum,
Nos infirmos perfice
Et de fundo peccatorum
Eripe magnifice.

7. Regi regum salus, vita,
Decus et imperium,
Trinitati laus et honor
Sit per omne saeculum,
Qui concives nos adscribat
Supernorum civium.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Duacen. 166.

398. De s. Nicolao Tolentino.

Ad Laudes.

1. Novum sidus laetitiae
Nicolaus nunc rutilat.
Solem quoque justitiae
Fidelibus enuntiat.

2. Enunciat prodigiis,
Vita sacrisque moribus
Christum, cujus vestigiis
Adhaesit totis viribus.

3. Vires dum desunt corporis,
Mox laudandus in gloria
Poenam peccati veteris
Absorbet in victoria.

4. Victoriamque praestitit
Et a se dat stipendium
Deus, suorum militum,
Sors et corona, praemium.

5. Praemium pater obtinens,
Audi vota gemituum
Et nos devotis precibus
Da nunc et in perpetuum.

6. Perpetua sit gloria,
Patri, nato, paraclito,
Et nobis plena venia
Sit Nicolai merito.

Brev. ms. Romano-Augustin. saec. 15. Cod. Duacen. 166.

399. De sancto Pancratio.

1. Dei testis egregius,
Agonista Pancratius,
Mundi percurrens stadium
Poli percepit bravium.

2. Hic bonae puer indolis.
Cedar infestus idolis,
Vacans hora novissima
Terrae sprevit peripsima.

3. Descendens a nobilibus
Sanctis excrevit moribus,
Suspirans ad coelestia
Calcavit transitoria.

4. Non formidavit judicem,
Christi calcavit calicem,
Pro meritorum cumulo
Vitae donatus calculo.

5. Tortoris risit verbera,
Verba, minas et aspera,
Triumphavit viriliter
Fortunatus feliciter.

6. Gaude, mater catholica,
Turba gaudet angelica,
Pancratius harmonica
Deo hymnizat cantica.

7. Tuis ergo natalibus
Pervigiles solemnibus
Defende, salva, dirige,
Salutis opem porrige.

8. Doxa patri et genito,
Septiformi paraclito,
Pancrati, martyr unicors,
Nobis esto misericors.

Psalt. S. Andreae de Bornholm in agro Norfolkiensi saec. XIV in. Cod. Oxoniens. Ashm. 1523. — 2, 4 perissima Hs. — 4, 2 calcavit calicem wohl brachylogisch zu erklären (calcavit uvas calicis). — Nach Str. 4 Divisio. — 7, 4 porrige fehlt. — 8, 3 martyr annicos Hs.: das Wort unicors (unicordes, unicordia) kommt vor; ob dies oder gar amicors hier das richtige, bleibt Vermutung.

400. De sancto Pancratio.

In Vesp. et Laud.

1. Martyris claram colimus coronam,
Christe, rex caeli, populo fideli
Auge virtutem, tribue salutem,
Summe redemptor.

2. Alme Pancrati, ducis o superni
Miles insignis, precibus benignis
Obtine pacem, retine minacem
Vindicis iram.

3 Stirpe tu clara sacras solemnia,
Pro fide Christi tua respuisti,
Fronte sacrata simul laureata
Cuncta relinquis.

4. Unde Romana Diocletiana
Saeva tempestas gravis ac potestas
Tunc piam crucem Domini colentem
Tersit inique.

5. Jam polis altus sacer ergo raptus
Ante vesani Diocletiani
Sisteris vultum, generose multum.
Inclite martyr.

6. Spiritum caelis puer hic fidelis
Intulit sacrum parilem piorum,
Cujus obtentu, o benigne Jesu,
Parce redemptis.

7. Te Deum patrem Dei atque prolem,
Pneuma divinum, deitate trinum,
Unicum Deum Dominumque rerum
Omnia laudent.

Diurn. ms. S. Pancratii in Hamersleve anni 1487. Cod. Berolinen. VIII° 56. add. saec. 15. — 3, 3 Fonte.

401. De sancto Pancratio.

Ad Completorium.

1. Hymnum sacra novum die
Canamus regi gloriae,
Qua invexit Pancratium
Consortio coelestium.

2. Qui nobili prosapia
Omnique fulsit gratia
Christum sequendo moribus
Annis sub infantilibus.

3. Ablutus hinc baptismatis
Gratia sancti pneumatis
Mundum cum suis floribus
Contempsit et erroribus.

4. Mox ergo tentus regia
Praecepta spernens impia
Coelo triumphis inclitum
Tradidit promptus spiritum.

5. Cujus potens oratio
Cum martyrum collegio
Laetos in his solemniis
Nos jungat suis gaudiis.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre, sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Diurn. ms. S. Pancratii in Hamersleve anni 1487. Cod. Berolinen. VIII° 56. add. saec. 15.

402. De sancto Paulino.

Ad Vesp. et Noct.

1. O caput, o pastor, summe patrone,
Nos gaudendo tui carmina laeti
Concedas hodie promere digni.

2. Denique Paulinus, praesul amandus,
Coelestis hodie gaudia vitae
Vir recipit prudens atque fidelis.

3. Qui constans haereses vicerat omnes,
Cum dat ei dignam Phrygia palmam
Immarcessibilem fertque coronam.

4. Hujus itaque viri laudi perenni
Plebs Aquitanorum servit in aevum,
Huic felix genitrix, Gallia nutrix.

5. Cui vos, Trevirici, carmina laeti
Dicite patrono corde benigno
Sperantes redimi gaudia coeli.

6. Hoc pater aeternus cum patre natus
Hisque coaeternus spiritus almus
Nunc det et immensi tempore saecli.

Brev. ms. Trevirense saec. 15. (Privatbesitz). A. — Brev. Trevirense imp. Lugduni 1515. B. — 3, 2 dat et dignum B. — 5, 1 nos Trevirici B.

403. De sancto Paulino.

Ad Laudes.

1. Sacerdos iste Domini
Stetit in die proelii
Murus inexpugnabilis,
Dux Christiani dogmatis.

2. Deceptis pontificibus
Et subversis principibus
Sub Arii vesania
Laborabat ecclesia.

3. Impugnator perfidiae,
Paulinus, primas Galliae,
Dum pro Europa dimicat,
In Asiam pulsus migrat.

4. Quam impugnat, Constantius
Fidei servit inscius,
Hinc expellens episcopum
Illuc mittit apostolum.

5. Cujus docta eloquiis
Et devicta miraculis
Fracta diis gentilitas
Christo fundat ecclesias.

6. Vinctus dissolvit carceres,
Exsul redemit exsules,
Distribuens dominicam
Ore, manu pecuniam.

7. Permutando exsilia
Defunctus est in Phrygia,
Quem digna passionibus
Donat corona Dominus.

8. Certant Phryges et Treviri
De sancti viri corpore,
Laetatur tandem Gallia
Suo retento praesule.

9. Inter Thebaeos martyres
Et senatorum proceres
Sanctas humat reliquias
In gloria reconditas.

Brev. ms. Trevirense saec. 15. (Privatbesitz). — 2, 3 Arriani. — 4, 5 fundit. — Von der Doxologie leider nur der Anfang vorhanden: Laus et perennis gloria.

404. De sancta Perpetua.

1. Jesu, corona omnium,
Corona, palma, praemium,
Digne festum Perpetuae
Celebrare nos annue.

2. Qui fecisti de bestia
Lictorumque saevitia
Triumphare Perpetuam
Coronam dans perpetuam.

3. Quocunque nos lacessere
Vel contra nos insurgere
Temptat hostis, succumbere
Fac, nos at ipsum vincere.

4. Te deprecamur largius
Supplicantes obnixius,
Ut post collatam gratiam
Nobis praestes et gloriam.

5. Praesta, pater piissime.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisien. 1304. — 3, 3 Ruptat hostis Hs. — 3, 4 Fac nos ad ipsum. — 4, 2 obnoxius Hs. — 4, 3 Et post Hs. — 4, 3 steht vor 4, 2 gegen den Sinn und die sonst befolgte Reimstellung.

405. De sancta Pharahilde.

1. Christi virgo egregia,
Pharahildis humillima,
Natalibus clarissima,
Precum sume suffragia.

2. Praefulgens gemma nimium,
Spes vera supplicantium,
Pium confer auxilium
Placando nobis Dominum.

3. Per ter denos annos nuptam
Te conservat incorruptam,
Vacantem ejus laudibus
Diebus atque noctibus.

4. Hanc specialem gratiam
Tibi Christus concesserat,
Ut pateat credentibus,
Quod vera luce frueris.

5. Nostris ergo pectoribus
Tuis sacratis precibus
Aeternae lucis gaudia
Infundat Christi gratia.

6. Hoc summa praestet deitas,
Patris, natique spiritus,
Quorum par est immensitas
Et eadem aeternitas.

Brev. S. Servatii Trajacten. imp. Coloniae 1503. — 1, 4 Precantum sume. — 3, 1 Qui per ter denos.

406. De sancto Philiberto.

Ad Vesperas.

1. Festa praeclari rutilant diei,
Qua poli claram Philibertus aulam
Scandit adjunctus niveis choreis
Carnea linquens.

2. Pastor hic omni venerandus orbi,
Lustra percurrens juvenis quaterna,
Praebuit Christi penitus benignis
Vocibus aurem.

3. Hinc lares dulces, patriam, parentes
Regis aeterni fugiens amore
Sub jugo levi Domini tonantis
Comprimit artus.

4. Hostis antiquus machinas crudelis
In tribus temptans reparat beato,
Sed crucis saevam repulit sereno
Stigmate larvam.

5. Mira qui multis decorata gestis
Templa construxit, quibus almus ordo
Coenobitarum Domino devotus
Redderet odas.

6. Corporum morbos variosque pellit,
Daemonis cedunt truculenta sancto,
Laetus ad votum rediit ab eo
Languidus omnis.

7. O patrum splendens, Philiberte, gemma,
Te piis cuncti lacrimis precamur,
Nostra disrumpe, quibus aggravamur,
Vincula mortis.

8. Qui tuis dignam meritis coronam
Obtines laetus, tribue perennem
A pio nobis Dominoque Jesu
Tradere vitam.

9. Praestet hoc nobis genitor perennis,
Natus et flamen, dominator orbis,
Par quibus exstat honor atque regnum
Omne per aevum.

Brev. ms. Trenorciense saec. 16. Cod. Sem. Eduen. s. sign. — 3, 1 larem.

407. De sancto Philiberto.

Ad Laudes.

1. Agmen poli, coetus soli
Almi patris Philiberti
Festum diem cum cantico
Omnis canat dulcisono.

2. Qui tempsit aulam regiam
Et saecularem gloriam,
Subjecit artus regulae
Hostemque vicit strenue.

3. Antiquus hunc jam pestifer
Agressus est tripliciter,
Sed vir fidelis per Christum
Hostem dejecit reprobum.

4. Tanti triumphi gratiam
Praesens loquatur caterva,
Quo sempiternam gloriam
Devota plebs accipiat.

5. Pastor sacer, Philiberte,
Mores et actus dirige,
Fulti tuis ut precibus
Christo fruamur largius.

6. Gloria Deo sit patri,
Gloria unigenito,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saccula.

Brev. ms. Trenorciense saec. 16. Cod. Sem. Eduen. s. n.

408. In Translatione s. Philiberti.

Ad Matutinum.

1. Gaudeat tellus jubilansque plaudat,
De patris festo Philiberti hymnum
Promat en almum jubilansque reddat
Vota patrono.

2. Hujus obtentu decoratur ordo
Coenobitarum venerandus olim,
Quem sibi junxit copulando normae
Denique sacrae.

3. Martyr insignem cupiit triumphum,
Sed reseravit melius redemptor
Hunc virum propter varias medelas
Atque labores.

4. Hic pius pastor luculenter egit
In suis gestis pietatis acta
Atque fundavit loca amoenitatis
Corde sagaci.

5. Hujus ad tumbam modo languor artus
Laxat aegrotos veniamque praestat
Omnibus nec non tribuit valenter
Dona salutis.

6. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

Brev. ms. Trenorciense saec. 16. Cod. Sem. Eduen. s. n.

409. De s. Potentino et Sociis.

Ad. Vesp. et Laud.

1. Novum resultet canticum,
Melos exaltet musicum
In patronorum gloria
Fida psallens ecclesia.

2. Dies occurrit celebris,
Quo liberati tenebris
Et flebili voragine
Laeto fruuntur lumine.

3. Potentinus cum sociis
Regales in potentias
Inductus in deliciis
Ad agni gaudet nuptias.

4. Tres trinitatis optimae
Vultum tuentur sedulo.
Qui caritatis intimae
Juncti fuerunt vinculo.

5. Horum tibi placentium,
Jesu, placatus hostia
Nos coeli duc in ostia
Caedi subductos hostium.

6. Sit trinitati gloria
Et perpes exaltatio.
Perennis exsultatio
In electorum curia.

Brev. ms. Steinveldense saec. 15. Cod. Bruxellen. 2961. A. — Diurn. ms. Steinveldense saec. 15. Cod. Darmstadien. 1104. B. — 1, 2 exaltet B. — 4, 2 Vultu A. — 6, 2 Et fehlt A.

410. De s. Potentino et Sociis.

Ad Nocturnum.

1. Serve Dei Potentine,
Summae civis regiae,
Majestatis nos divinae
Fac acceptos gratiae,
Ut sanctorum sine fine
Collaetemur gloriae.

2. Tuis votis nos, Felici,
Da felices effici,
Juncta prece nos, Simplici,
Deo junge simplici,
Ut anfractus inimici
Evadamus lividi.

3. Indivisi caritate,
Piis unum mentibus,
Pro devotis supplicate
Domino supplicibus,
Ut in summa claritate
Jungamur felicibus.

4. Honor superexaltato
Patri sit ingenito,
Laus pro nobis immolato
Patris unigenito,
Laus aequalis sit beato
Flamini paraclito.

Brev. ms. Steinveldense saec. 15. Cod. Bruxellen. 2961.

411. De sancto Remaclo.

1. Aulae coelestis consulem,
Remaclum, dignum praesulem,
Triumphantem feliciter
Veneremur solemniter.

2. Editum de primoribus
Hunc clariorem moribus
Demonstravit religio,
Qua fulsit cum Eligio.

3. Vitam ducens laudabilem
Post mundi cursum labilem
Intrat regna siderea
Membra linquens corporea.

4. Corpus digne reconditur,
Gemmis et auro tegitur,
Hujus gaudet praesentia
Stabulensis ecclesia.

5. Laus et honor trinitati,
Sit unicae deitati,
Quam vir praeclarus coluit,
Deum vivum et docuit.

Brev. ms. Stabulense saec. 13. Cod. Bruxellen. 3092.

412. De sancto Rumoldo.

Ad Vesperas.

1. Exsultemus decantando
Laudes Dei filio,
Quem Rumoldus venerando
Secutus martyrio
Est adjunctus exsultando
Coelesti consortio.

2. Hic Rumoldus ex regali
Exortus prosapia,
Simul et pontificali
Sublimatus infula,
Gloria pro aeternali
Relinquebat omnia.

3. Martyr Christi mox futurus
Veniens Mechliniam,
Sanguine consecraturus
Fundavit ecclesiam,
Pro qua recepit securus
Sempiternam gloriam.

4. Sic relinquens hic terrena,
Bona, census, reditus,
Ad coelorum peramoena
Suspirat medullitus,
Cujus capitali poena
Christo datur spiritus.

5. O Rumolde, martyr Dei,
Haec tua solemnia
Recolentes, licet rei,
Christo reconcilia,
Ut post mortem laudes ei
Canamus in gloria.

6. Gloria sit salvatori,
Patris unigenito,
Lausque summo genitori
Sanctoque paraclito,
Quem coelestes laudent chori
Nunc et sine termino.

Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Archivi Gandaven. 100. — 2, 1 Hinc. — 3, 3 Sanguinem.

413. De sancto Rumoldo.

Ad Laudes.

1. Aulae coelestis laudemus consulem,
Dilectum Christi Rumoldum praesulem,
Quem Dei nutu felix Machlinia
Fovit exsulem.

2. In qua defunctum orans suscitavit,
Quam operibus sanctis decoravit,
Et eam fuso sanguine proprio
Sanctificavit.

3. Ibi martyris corpus reconditur,
Supplicantium languor depellitur,
Si languentium pia devotio
Fide nititur.

4. Laudemus ergo cum jucunditate
Virum praeclarum omni sanctitate,
Ut cum eodem perenni fruamur
Solemnitate.

5. Praestet hoc nobis beata trinitas
Et indivisa ejusdem unitas,
Ut sempiterna nobis paradisi
Detur claritas.

Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Semin. Leodien. 6 M 2. A. — Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Archivi Gandaven. 100. B. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. Parisiis 1516. C. — Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Darmstadien. 394. D. — 1, 3 Mechlinia C. — 2, 3 Et tam fuso C. — 4, 2 mira sanctitate C. — 5, 1 Praeter hoc C. — 5, 2 Et individua B. — 5, 4 Detur amoenitas AC.

414. De sancto Samsone.

Ad Vesperas.

1. Ad honorem praesulatus
Samson, lumen praesulum,
Est de coelo nuntiatus,
Ut mundo sit speculum
Et ligatum a reatu
Christi solvat populum.

2. Per columbam, quae sedebat
Supra dextram praesulis,
Quando missam celebrabat
Votis orans sedulis,
Dignum esse clarescebat
Ipsum ducem populis.

3. Contra sanctum se paravit
Genitor invidiae,
Qui reginam stimulavit
Fermento malitiae,
Quae venenum procuravit
Sancto dari noxie.

4. Sancto virus est oblatum,
Cum debebat bibere,
Sed vas cadit violatum
Ex crucis charactere,
Samson vernam toxicatum
Parat sanum reddere.

5. Equum parat effrenatum
Cum regina praesuli,
Ut sic morti det beatum,
Qui lumen est populi,
Verum equus se paratum
More reddit famuli.

6. Per leonem furibundum
Praesulem exstinguere
Dum festinat cor immundum,
Leo coepit fugere,
Qui, dum virum fugit mundum,
Exstinctus est propere.

7. Trinitati summae detur
Honor et imperium,
Per quam Samson promovetur
Ad coeli palatium,
Quae vocare nos dignetur
De poenis ad gaudium.

Brev. Dolense imp. Parisiis 1519.

415. De sancto Samsone.

Ad Nocturnum.

1. Gaudete, Sion filiae,
De Samsonis memoria,
Cujus virtutes hodie
Nos invitant ad gaudia.

2. Voce de coelo nuntia
Conceptus est in sterili,
Ut salutis mysteria
Verbo doceret humili.

3. Columba, quae apparuit
Super eum in ordine,
Ipsum dignum edocuit
Pontificatus culmine.

4. Dum adstitit altaribus
Consecrator mysterii,
Ignis exit de naribus,
Coelestes adstant nuntii.

5. Uxor regis et filia
Sanantur ejus opere,
Ad Samsonis imperia
Nequit daemon subsistere.

6. Regi, cujus insignia
Tu gessisti virtutibus,
Nos commendes in patria,
Samson, cum sanctis omnibus.

7. Honor, decus, imperium
Trinitati deificae,
Cujus intrat in gaudium
Sanctus Samson mirifice.

Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. — 2, 4 In verbo docet.

416. De sancto Samsone.

Ad Laudes.

1. Quanta refulget gratia
Beatus Dei famulus,
Per signorum indicia
Rex agnovit et populus.

2. Dum sanctus quaerit bibere
Virus ei porrigitur,
Facto crucis charactere
Vas in partes dividitur.

3. Ministri manus crepuit
Virus infesta vulnere,
Samson sanum restituit
Beato Dei munere.

4. Equus paret indomitus,
Deum collaudant populi,
Leo morti fit deditus,
Reginae cadunt oculi.

5. Regina mala moritur
Ante finem officii,
Serpens ardens expellitur
Sacri verbis imperii.

6. Sancti Samsonis precibus
Petram Deus aperuit
Pro germano cum fratribus,
Et usque nunc fons effluit.

7. Cum pars dena subtrahitur,
Viti venit sterilitas,
Et cum ipsa persolvitur,
Redit ei fertilitas.

8. Honor, decus, imperium
Trinitati deificae,
Cujus intrat in gaudium
Sanctus Samson mirifice.

Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. — 4, 1 parat. — 4, 2 mortis. — 7, 4 Reddit.

417. De sancto Samsone.

In 2. Vesperis.

1. Rex virtutum et gratiae
Per Samsonis precamina
Nos ad portum duc patriae
Sanctorum inter agmina.

2. Dum porci prata fodiunt,
Porcorum forma vertitur
Nec illam post recipiunt,
Porcus caper efficitur.

3. Matrona mater sterilis
Suos amisit oculos,
Quos Samson, pater foederis,
Suos refert in loculos.

4. Malignus ducis filium
Male torquebat spiritus,
Per Samsonis auxilium
Puer sanus est redditus.

5. Puer jacens in lectulo,
Qui spiritum emiserat,
Ex Samsonis oraculo
Vitam sibi recuperat.

6. Fracta Samsonis rotula
Sancti virtutem lucide
Vulpes et avis garrula
Docent et manus aridae.

7. Coluber et daemonium
Sancti cedunt imperio,
Infecunda dat filium
Matris Dei servitio.

8. Honor, decus, imperium
Trinitati deificae,
Cujus intrat in gaudium
Sanctus Samson mirifice.

Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. — 7, 4 Matri.

418. De sancto Sanctiano.

Ad Laudes.

1. Defensorem egregium,
Sanctianum, verum, pium
Martyremque, nostrum decus,
Frequentemus nunc laudibus.

2. Vitam quaesivit sanguine
Cupiens coelum scandere,
Ut socius martyribus
Foret semper continuus.

3. Hic copulatus superis
Gestando sertum capitis
Laetus heros tripudiat,
Fungitur poli praemiis.

4. Orator fiat famulis,
Quos premunt culpae criminis,
Opem poscat supplicibus
Suis praeclaris precibus.

5. Sit laus patri cum filio
Et cum pio paraclito,
Sit laus, honor unus tribus
In omnibus temporibus.

Brev. ms. S. Petri Vivi saec. 14. Cod. Parisien. 1041. — 3, 3 lies tripudiis?

419. De sancto Sanctino.

1. Concrepet laudum candida
Melos dulces ecclesia
Sanctino, patri praecluo
Et praesuli eximio.

2. Ortus qui gente nobili
Fines petiit Galliae
Cum sociis quam plurimis
Passione coronatis.

3. Tandem prudens et pudicus
Consecratur episcopus
A sancto Dionysio
Omni laude dignissimo.

4. Et clarus iste moribus
Praedicavit in gentibus
Christum passum pro omnibus,
Qui nos redemit mortuus.

5. In cujus caecis nomine
Lumen donavit gratiae,
Claudis quoque vestigia
Qui restauravit perdita.

6. Febre defunctum valida
Antoninum post funera
Suscitavit a mortuis
Hujus amore Dominus.

7. Quem petimus, ut adjuvet
Nos et a morte liberet
Quos antiqua invidia
Sua foedavit macula.

8. Praestet pater, quod petimus,
Ejusque sanctus filius
Et spiritus paraclitus
Nobis perfrui precibus.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 12. in. Cod. Virdunen. 108. A. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 12/13. Cod. Virdunen. 109. B. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 13. Cod. Virdunen. 112. C. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 111. D. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 116. E. — 1, 1 laudum cantica B. — 7, 3 antiquam A.

420. De sancto Saviniano.

1. Exsultet omne saeculum
Trophaea pangens martyrum,
Qui daemonum tyrannidem
Vicere Christo principe.

2. Quos inter almus pontifex
Savinianus nobili
Micat triumpho gloriae
Crucis ferens signaculum.

3. Quem Petrus huc apostolus
Direxit, ut per Gallias
Verbi superni spicula
Arcu fidei promeret.

4. Hujus ducatum protinus
Christi sequuntur milites,
Potentianus inclitus,
Altinus aeque nobilis.

5. Hos Roma mittit aurea,
Hos vertit unus spiritus,
Sustulit hos victoriae
Spes semper invictissima.

6. Dei gerentes proelia
Virtute freti coelica
Vincunt ministros daemonum,
Plebes fovent fidelium.

7. Tandem repletam civibus
Urbem pergyrant Senonum,
Quae forte tunc multiplici
Cultu cluebat minimum.

8. Ignara prorsus unius
Veri Dei, qui saecula
Verbo creavit ac suo
Gubernat astra spiritu.

9. Hac immorantes dogmata
Verbi sacrata ducibus
Edunt, simul virtutibus
Haec approbant insignibus.

10. Tenore sicque duplici
Errore plebem liberant,
Unum Deum veracibus
Dictis fatentes et rebus.

11. Fallax ut in primordio
Anguis veternus improbos
Ad persequendum suscitat
Christi pios mox milites.

12. Gaudent ad haec promptissimi
Testes Dei fortissimi,
Amoris cujus omnium
Calcant minas discriminum.

13. Libenter ad certamina
Currunt beati martyres,
Pugnando qui per sanguinem
Sumpsere palmam gloriae.

14. Laetantur in coelestibus
Carnis solutis vinculis,
Agnum sequuntur candidum
Novumque cantant canticum.

15. Horum precatu, quaesumus,
Absolve nos reatibus,
Horum frui consortio
Praesta, Deus, per saecula.

Brev. ms. S. Petri Vivi saec. 14. Cod. Parisien. 1041. — 3, 1 hunc. — 7, 4 duebat. — 11, 1 Fallax et. — Nach Str. 4 und 12 Divisio.

421. De sancto Saviniano.

1. Jesu, nostra redemptio
Et culparum remissio,
Hoc placare praeconio,
Quod depromit haec concio.

2. Saviniane, martyrum
Gemma simul et praesulum,
Nos tuis sanctis precibus
Coelorum junge civibus.

3. Quae tu sacrasti moenia
Semper ab hoste libera,
Subjectum tibi populum
Duc ad coeli palatium.

4. Summa virtus et gloria,
Honor et laus perpetua
Ex hoc nunc et per omnia
Sit trinitati saecula.

Brev. ms. S. Petri Vivi saec. 14. Cod. Parisien. 1041. — 1, 4 te promit.

422. De sancto Saviniano.

1. Jam probatus in tormentis
Igneque Savinianus,
Corde constans, voce torrens,
fide prorsus inclitus,
Laureatus petens coelos
gladio perimitur.

2. Sed ut vivus, non peremptus
videretur hostibus,
Caesum caput coram ipsis
suis gestans manibus,
Movens iter ad superna
transportavit longius.

3. Felix ergo nunc beate
civis hujus patriae,
Aevo tecum cives esse
nos, precamur, tribue,
Mala pellens, bona fovens,
omni purgans crimine.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Brev. ms. Trecense saec. 13. Cod. Trecen. 1147. A. — Antiph. ms. Trecense saec. 13. ex. Cod. Trecen. 720. B. — Brev. ms. Trecense saec. 14. Cod. Trecen. 1148. C. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Parisien. 13237. D. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1847. E. — Brev. ms. S. Lupi Trecen. anni 1511. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII° 23². F. — Brev. Trecense imp. Trecis 1483. G.

423. De sancto Sebastiano.

1. Solvamus omnes congrua
Magno patri praeconia,
Sebastiano vocibus
Demus sonos cum laudibus.

2. Ortu refulsit nobilis
Et sanctitate praeditus
Cultor Dei verissimus
Et miles invictissimus.

3. Per quem beati martyres
Norunt certare fortiter
Pluresque vitae maximis
Sunt incitati praemiis.

4. Post ipse gaudens pertulit
Duri genus certaminis
Et per triumphi lauream
Christi subivit gloriam.

5. Qui praedicanti martyri
De coeli sede claruit
Et osculatus propriam
Donavit illi gratiam.

6. Tuum, creator, militem
Fac pro redemptis supplicem,
Ut, quod precatur, audias
Et nostra laxes debita.

7. Hymnus, honor, potentia
Sit protegenti saecula,
Qui fecit actu caelibem
Sebastianum martyrem.

Hymn. et Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 123. — 2, 2 Et ergänzt.

424. De sancto Sebastiano.

1. Beate martyr, cernuis
Felix adesto servulis,
Sebastiane, quaesumus,
Votis fave fidelibus.

2. Dudum tyrannis cedere
Non passus es formidine,
Nec perferas, crudelibus
Ut subjugemur hostibus.

3. Per passionis gloriam
Coeli petisti patriam,
Et nos ab imo saeculi
Perduc in arcem luminis.

4. Hoc deprecatus annuat
Regens polos et sidera,
Qui nunc et in perpetuum
Vivit creator omnium.

Hymn. et Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 123. — 2, 1 tyrannus. — 4, 2 Regna potens.

425. De sancto Sebastiano.

1. Coelestium virtutibus
Sebastianus deditus
Favore plebis maximo
Vigebat in palatio.

2. In mente cujus provida
Fides erat firmissima,
In ore prudentissimae
Urbanitas facundiae.

3. Quem fusa coelo splendida
Illuminavit claritas
Et praedicavit laudibus
Linguae solutae spiritus.

4. Patrans simul magnalia
Per efficacem gratiam
Hostis venenum depulit
Lumenque caecis reddidit.

5. Hymnus, honor, potentia.

Hymn. et Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 123. — 3, 4 Linguae solitem.

426. De sancto Serenedo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Stola triumphans gloriae
Serenedi nunc spiritus
Meritorum dignitate
Jungitur confessoribus.

2. Pretioso redimitus
Hic frontem diademate
A Christo sibi tradito
In praemium justitiae.

3. O quam felix sors sanctorum
Finisque prorsus nescia,
Quae labori vel dolori
Nunquam stabit obnoxia.

4. Quam beatus ille sanctus
Ad verum lumen cernere,
Quo cernentes potiuntur
Pro infinito munere.

5. Ad hanc sortem pertingamus
Ejus et sanctis precibus,
Cujus festum celebramus
Cum hymnis atque laudibus.

6. Patri sanctoque filio
Honor sit atque gloria
Et flamini coaeterno
Per infinita saecula.

Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504.

427. De sancto Serenedo.

Ad Laudes.

1. O felix nostra regio,
Pro Serenedi meritis
Age solemne gaudium
Regem honorans omnium.

2. Hic mira tibi gratia
Providit necessaria,
Cujus dans prece protegi
Exemplo vales instrui.

3. Summus iste coelicola,
Salviae montis incola,
Dum fugit turbas hominum,
Propius quaerit Dominum.

4. Sed nec latere potuit,
Qui supra montem splenduit,
Frequentibus miraculis
Innotuit lux populis.

5. Ad spiritalem medicum
Concurrit vulgus languidum,
Qui curat ope gemina
Et animas et corpora.

6. Patri sanctoque filio
Honor sit atque gloria
Et flamini coaeterno
Per infinita saecula.

Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504.

428. De sancto Servatio.

Ad Laudes.

1. Hymnum solemni voce personemus,
Ut Servatium praesulem laudemus,
Quem de carnali progenie Christi
Natum gaudemus.

2. Ab Armenia Christus hunc direxit,
Tongris orantem angelus erexit
Et ab altari virgam pastoralem
Illi porrexit.

3. Hoc miraculo praesul consecratur,
Clavis a Petro Romae sibi datur
Et inter Hunnos signorum gratia
Magnificatur.

4. Hic obumbratur solis in ardore
Alis aquilae depressus sopore
Et illustratur ligatus ab Hunnis
Coeli splendore.

5. Die, qua vitam mundi exhalavit,
Coelitus missa purpura volavit
Super beati corpus antistitis
Atque velavit.

6. Laudemus ergo cum jucunditate
Virum praeclarum mira sanctitate,
Ut cum eodem perenni fruamur
Solemnitate.

7. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo.

Brev. ms. S. Martini Embricen. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 22. A. — Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503. B.

429. De sancto Siffredo.

1. Pangat omnis orbis Deo,
plebs fidelis concinat,
Psallat hymnum laus sonora
concrepando cantica,
Quis resultans clerus cunctus
festa dat solemnia.

2. Nunc episcopi sacrati
dies festus agitur,
Quo relicto peplo carnis
ad polum assumitur,
Ubi laudat regem regum
ac corona comitur.

3. Nos in hoc cosmo manentes
laudum demus carmina,
Quae decantant in excelsis
angelorum agmina,
Quorum meriti non sumus
habere solamina.

4. His conjunctus Deo carus
Siffredus episcopus,
Cum quibus exsultat semper
et cum sanctis omnibus,
Cujus meritis muniri
nos omnes confidimus.

5. Te, Siffride, deprecamur,
ores ut pro famulis
Specialibus, pro nobis,
hinc pro cunctis populis,
Quibus pastor exstitisti,
fias exorabilis.

6. Gloria sit Deo patri,
a quo salus omnium,
Simul Christo, regi nostro,
decus et imperium
Atque spiritui sancto
per aeternum saeculum.

Brev. ms. Arelatense saec. 13. Cod. Carpentoracten. s. n. A. — Brev. Arelatense imp. 1501. B. — 1, 5 Quo A; resultat AB. — 2, 1 episcopi Siffredi B. — 2, 3 relicto plebe B. — 3, 1 Nos hoc concinio B. — 3, 5 meriti nos simus B. — 3, 6 solatia B. — 4, 1 Is conjunctus Deo carnis B. — 4, 5 meritis juvari B. — 6, 6 aeterna saecula. — B giebt Str. 1—4 ad Vesp. et Noct., 4—6 ad Laudes.

430. De sancto Siffredo.

Ad Completorium.

1. Jam venit festum celebrandum orbi
Praesulis nostri, meritis beati
Atque praeclari pietate dulci,
Patris amandi.

2. Cujus in festo jubilemus omnes
Supplici voto Dominum precantes,
Ut simul nosmet benedicat omnes
More paterno.

3. Quemque signorum merito decorum
Novimus cuncto viguisse mundo,
Quique defunctos revehit saluti
Sospite vita.

4. Plura virtutum precibus peregit,
Nullus ex illo vacuus redivit,
Penitus cunctis maculas abegit
Causa salutis.

5. Ipse pro nobis Dominum precetur,
Quem fide scimus placuisse Christo,
Cujus optando retinet supernum
Munere regnum.

6. Ad precum vota famulorum justa,
Praesul, intentus, scelerum piator,
Et quod ad culpam facinus patrarunt
Pelle luendo.

7. Te, Deus noster, petimus precantes,
Nos ut extorres facias piaclo,
Et gregem pastor proprium reducat
Ad paradisum.

8. Gloriam patri Domino canamus,
Gloriam Christo resonemus omnes,
Cum quibus regnat Deus atque compar
Spiritus almus.

Brev. ms. Arelatense saec. 13. Cod. Carpentoracten. s. n. — 3, 3 defuncti. — 6, 1 votum.

431. In Inventione s. Stephani.

1. Christo nunc modulis dulcibus et piis
Psallat dulcisonus ecclesiae chorus,
Qui vitae rutilis perpetuae stolis
Sanctos condecorat suos.

2. De cujus Stephanus munere praeditus
Certando labarum signifer inclitum
Primus per cuneos extulit hosticos
Vincendique modum dedit.

3. Hic terris positus fulsit ut angelus,
Et Christus solio stans patris aureo
Pugnanti micuit, proelia dum gerit
Atque hostem pede conterit.

4. Hinc pugnat rabies, martyris hinc fides,
Hi mittunt lapides et Stephanus preces,
Certant, ut perimant, orat, ut eruat,
Et pravis veniam rogat.

5. Lictorum feritas et pia caritas
Confligunt variis undique spiculis,
Vincit continua sed patientia
Horret nec sua vulnera.

6. Occurit hilarans coelica mox phalanx,
Fert coelo Stephanum stemmate fulgidum,
Donatum nitida affabre laurea,
Victori sua praemia.

7. Virtus, laus et honor, cunctipotens sator,
Semper cum Domino sit tibi filio
Et cum vivifico flamine proprio,
Cum quibus unus es Deus.

Hymn. ms. Catalaunensis saec. 15. Cod. Parisien. 1089. A. — Brev. ms. Catalaunense saec. 15. Cod. Parisien. 1069. B. — 2, 1 Te cujus B. — 6, 1 hilarens B. — Mel.: Sanctorum meritis.

432. De sancto Stephano.

1. Chorus fidelis annua
Nunc celebret solemnia
Triumphali martyrio
Laudes depromens Stephano.

2. Qui sanguinis sub pretio
Jesum videt in stadio,
Sui coronam nominis
Claris tenet de meritis.

3. Per lapidum duritiam,
Per vulnerum saevitiam
Orat pro lapidantibus
Piis flexis poplicibus.

4. Coelestis aula panditur,
Dei natus adspicitur,
Vexillum qui certaminis
In fide regit militis.

5. Scandit coelum dux martyrum
Gestans decus purpureum,
Honor cui militiae
Post Christum manet optimae.

6. Per infinita saecula
Deo vero sit gloria,
Quem laudat almus Stephanus
Perpetuis concentibus.

Psalt. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 64.

433. De sancto Stephano.

1. O athleta summi regis,
Protomartyr Stephane,
Tuae preces supplicantes
Fundimus clementiae,
Martyrum qui principatum
contines militiae.

2. Sanguine Christi redemptae
recordare ecclesiae,
Mundi factor, ut effusis
ad se tuis precibus
Illam regat et defendat
adversis ab hostibus.

3. Gloria et honor Deo.

Hymn. ms. Grandimontanus saec. 12. Cod. Cenomannen. 352.

434. De s. Stephano Muretensi.

Ad Vesperas.

1. Hymnum confessoris
Psallamus honoris,
Stephani levitae,
Qui supernae vitae
Ditatus est donis,
Dei visionis
In coelorum thronis.

2. Virgo laureatus,
Christo dedicatus
Eremique vitam
Asperam sectatus,
Saecli dominatus,
Pompa non elatus,
Fugit vir beatus.

3. Lorica tegmentum
Carnis, non fomentum,
Huic alimentum
Panis, latex haustum,
Substantiamentum,
Mane condimentum
Coelitus impensum.

4. In coelum ascensus
Ejus est ostensus,
Dum puer prospexit
Et matri detexit
Coelos ascendentem
Per scalam lucentem
Animam gaudentem.

5. Sit laus tibi patri,
Decus atque nato,
Simul procedenti
Ab utroque sancto
Spiritui semper
Regnantique, trino
Pariter et uno.

Hymn. ms. Grandimontanus saec. 12. Cod. Cenomannen. 352. add. saec. 14/15. A. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII° 14. B. — 1, 2 honore B. — 3, 1 Lorica recinentum B. — 3, 3 Hic alimentum B. — 3, 5 Et sustamentum A. — 3, 6 condumentum A. — 4, 1 ascensus fehlt B. — 4, 4 direxit A.

435. De s. Stephano Muretensi.

Ad Laudes.

1. Confessor almus Stephanus,
Qui est supernis civibus
Coaequatus, pro subditis
Deum exoret filius.

2. Ad ejus sacrum tumulum
Membra quaeque languentium
Sanitatem recuperant,
Ad vitam multi redeunt.

3. Ejus orationibus
A fide oberrantibus
Est praestitum auxilium
Et datum coeli bravium.

4. Hic sectator justitiae
Atque misericordiae
Nobis impetret posteris
Elongari ab inferis.

5. Praestet hoc nobis Dominus,
Pater et unigenitus
Una cum sancto spiritu
Per cuncta semper saecula.

Hymn. ms. Grandimontanus saec. 12. Cod. Cenomannen. 352, add. saec. 14/15. A. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII° 14. B. — 1, 2 es B. — 2, 3 recipiunt B. — 3, 2 Et fide B. — 4, 2 Acet misericordie B. — 5, 1 nobis Deus B.

436. De sancta Sunniva.

Ad Vesperas.

1. Aeterna Christi munera
Lauda, mater ecclesia,
Qui martyrum per vulnera
Te stola vestit regia.

2. Regum descendens stipite
Coeli scandit ad atria
Sacro stipata milite
Sunniva, regis filia.

3. Carnem domat cilicio
Quondam vestita mollibus,
Delicias exsilio
Crebrisque risum fletibus.

4. In his rosa cum lilio
Nupta felici copula,
Sacro rubet martyrio
Ruga carens et macula.

5. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui martyres multiplici
Glorificat victoria.

Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519 A; daraus bei Langebeck, Scriptt. rer. Danic. IV, p. 16. B. — 3, 1 Carnem domant AB. — 3, 2 vestiti AB.

437. De sancta Sunniva.

Ad Laudes.

1. Devotum fide populum
Educavit Hibernia,
Qui Selinensem scopulum
Petit pro domo regia.

2. Volens subit exsilia
Intrando solitudinem,
Ut sit nobis lux praevia
Ad aeternam dulcedinem.

3. Per hos fame, vigiliis
Libertas carnis teritur
Et sedulis suspiriis
Mens in superna rapitur.

4. Hos de tyranni manibus
Ruina montis eripit
Et jubilans in laudibus
Coelestis aula suscipit.

5. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui martyres multiplici
Glorificat victoria.

Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519. A; daraus bei Langenbeck l. c. p. 20 sq. B. — 1, 3 Selinensem A, Selinensium B. — 2, 4 Dat aeternam AB.

438. De sancto Symphoriano.

1. Victorias nunc martyrum
Canat chorus fidelium,
Qui orbem suo sanguine
Illustrarunt dignissime.

2. Vernat per mundi climata
Illorum digna gloria,
Tripudiat ecclesia
Laetaque promit cantica.

3. Inter primos nam proceres
Fortissimosque milites
Resplendet gemma rutilis,
Symphorianus nobilis.

4. Pro Christo qui supplicia
Sustinuit horrifica,
Nunc residet palatio
Regnans semper cum Domino.

5. Te, martyr, ergo petimus,
Christum roges instantius,
Tuis ut sacris precibus
Nobis fiat propitius.

6. Det nobis tecum vivere
Seque semper conspicere,
Ut pardisi gaudiis
Fruamur et deliciis.

7. Praesta, pater piissime.

Brev. ms. S. Symphoriani Meten. saec. 14. Cod. Semin. Meten. s. n. — 2, 1 Cernat.

439. De sancto Syreneo.

1. Plaudat chorus fidelium
Syrenei praeconium,
Cujus praestant solemnia
Beata nobis gaudia.

2. Despecta mundi gloria
Suspirat ad coelestia
Iter sequens et meritum,
Deus, tuorum militum.

3. Haereticorum rabiem
Confundit et perniciem
Tuo fultus eloquio,
Jesu, nostra redemptio.

4. Tandem victor sub gladio
Coronatur martyrio,
Nunc regnat in coelestibus,
Exsultet coelum laudibus.

5. Sit laus, decus, potentia,
Honor, virtus et gloria
Patri, nato cum flamine
A solis ortus cardine.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 70. A. — Brev. ms. Claromontense anni 1454. Cod. Claromonten. 73. B. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII° 14. C. — Psalt. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 74. D. — 1, 2 Cirenei A. — Mel.: Aurora lucis rutilat D.

440. De sancto Theodorico.

1. Beatus auctor saeculi
Hunc rubra veste induit
Et claritatem speculi
Coelestis ei tribuit.

2. Sacerdos gloriosior
Fidem Christi praedicavit,
Orthodoxus praeclarior
Obcoecatos illustravit.

3. Theodoricus docuit
Extremo in supplicio,
Cum Christianis profuit,
Est irretitus vitio.

4. In urbe Antiochena
Se et sua offerebat
Holocaustum mente plena
Neque morti resistebat.

5. Est passus Theodoricus
Et in coelum sublimatus,
Praedicando Dei ritus
Est ibidem collocatus.

6. Et est Juliani spata
Apostatae perforatus,
Unde tandem mente grata
Sanctus martyr est prostratus.

7. Translatus est in agone
Sedem cernens cathedralem,
Quam intraret spe coronae
Regnaturus rege Salem.

8. In civitatem ductus est,
Quam sol verus illuminat,
Quod solum eis fructus est,
Quos Deus hic praedestinat.

9. Ucecensem Christi gregem
Pater, filiusque flamen,
Duc et nos ad regum regem,
De quo bis cantemus Amen.

Brev. Misnense imp. Lipsiae 1502.

441. De s. Thoma Cantuariensi.

1. Hymnos dulces personemus,
Christum regem collaudemus,
Qui beatum Thomam miro
Consecravit martyrio.

2. Plebem rexit hic Anglicam
Vitam ducens angelicam,
Effulsit in Dei templo
Verbo lucensque exemplo.

3. Libertatem ecclesiae
Dum defendit intrepide,
Bilis regis succenditur,
Sanctus praesul non flectitur.

4. Juxta Christi consilium
Diuturnum exsilium,
Damna probraque patitur,
Domus firma non quatitur.

5. Jejuniis, vigiliis
Pro se suisque filiis
Instans semperque precibus
Ora rigabat fletibus.

6. Membra domans cilicio
Longo punit supplicio,
Jam martyr tali studio
Se praeparat martyrio.

7. Tamquam Christus pateretur
Coram se, sic permovetur,
Fundens rivos fletus magni
Hora sumptionis agni.

8. Caritatis visceribus
Totus fluens pauperibus
Largam manum aperuit,
Amplam coronam meruit.

9. Pastor non mercenarius,
Dignus Christi vicarius
Se pro commissis ovibus
Offert luporum morsibus.

10. Fracta carnis laguncula
Athletae Christi facula
Peccati carens macula
Corruscat per miracula.

11. Ipse dignetur Dominum
Rogare clementissimum,
Ut ab aeternis ignibus
Nos salvetque daemonibus.

12. Sit trinitati gloria,
Sit decus ac victoria
In unitate solida
Per saeculorum saecula.

Antiph. ms. Cisterciense saec. 13. Cod. Treviren. 412. A. — Brev. ms. Trevirense saec. 12. Cod. Treviren. 248. add. saec. 13/14. B. — B hat nur die Str. 1, 3, 4, 6, 10 und 12.

442. De sancto Trudone.

Ad Vesperas.

1. Eja, fratres, jam plaudite
Trudonis ob memoriam,
Laudes patris attollite
Sequendo sanctimoniam.

2. Qui velut sol in aethere
Fulsit in domo Domini,
Clarus signis et opere,
Deo carus et homini.

3. Ex angeli consortio
Sancto Remaclo paruit,
In largo patrimonio
Christum haeredem statuit.

4. Cordis amans munditiam
Vir totus Deo deditus
Bibit abunde sobriam
Ebrietatem spiritus.

5. Ad fontem vitae sitiens
Fontem dare promeruit,
Aeternam lucem ambiens
Lumen caecis restituit.

6. O Trudo, trude longius
Nostrae salutis aemulum,
Fac nos videre citius
Aeternitatis speculum.

7. Laus dominorum Domino,
Qui nos Trudonis precibus
Coronet sine termino
Cum sanctis suis omnibus.

Passionale ms. Trudonense saec. 15. et 16. Cod. Leodien. 278. A. — Vesperale ms. Trudonense anni 1539. Cod. Leodien. 24. B. — Antiph. ms. Trudonense anni 1600. Cod. Leodien. 283 (ohne Mel.) C.

443. De sancto Trudone.

Ad Matutinum.

1. Somni spreta dulcedine
Adstamus tibi, Domine,
Sancti Trudonis precibus
Intende nostris vocibus.

2. Caro, quam gestat anima,
Nociva suadet plurima,
Trahit captivam hospitem,
Claudit tenebris obsitam.

3. Prae peccatorum pondere
Caput nequit attollere,
Suspirat tantum anxie
Spem habens in te veniae.

4. Jesu, prostratam erige,
Hostes obstantes abige,
Pie amator hominum,
Everte moles criminum.

5. Per confessoris gloriam
Praesta nobis hanc gratiam,
Ut unus Deus trinitas
Laudes acceptet debitas.

Passion. ms. Trudonense saec. 15. et 16. Cod. Leodien. 278.

444. De sancto Trudone.

Ad Laudes.

1. Ad laudem regis gloriae
Tota plaudat ecclesia,
Quem in decoris specie
Trudo cernit in patria.

2. Sol verus, sol justitiae
Clarum misit luciferum.
Dum Trudonem Hasbaniae
Sanctum dedit prestyterum.

3. Respondit dignus moribus
Suscepto sacerdotio,
Quem docuit in omnibus
Magistra dulcis unctio.

4. Quae soporato coelitus
Adsistunt luminaria,
Monstrant, quantae sit praeditus
Internae lucis gratia.

5. Gaude felix et jubila,
Trudo, consors coelestium,
Tui moeroris nubila
Jam versa sunt in gaudium.

6. Conserva tuis precibus
Nos a cunctis periculis,
Qui tot flores virtutibus,
Tot corruscas miraculis.

7. Patri, nato, paraclito
Potestas, honor, gloria,
Qui nos Trudonis merito
Ducat ad coeli gaudia.

Passion. ms. Trudonense saec. 15. et 16. Cod. Leodien. 278. A. — Antiph. ms. Trudonense anni 1600. Cod. Leodien. 283. B.

445. De sancto Tudgualo.

Ad Vesperas.

1. Conceptum corde gaudium
Vox una promat omnium,
Dum recenset ecclesia
Tudguali natalitia.

2. De transmarinis partibus
Christi spirante gratia
Cum multis venit fratribus
Vitae ferens commercia.

3. Quam felix nostra regio
Tot patrum patrocinio,
Virtus et fama comitum
Doctoris augent meritum.

4. Culmen adeptus praesulis
Crebris fulsit miraculis,
Tam corporum quam cordium
Curans in verbo vitium.

5. Idem mutato nomine
Dictus Leo Britigena
Sedit in Petri culmine
Clarus et carus advena.

6. Post revelante Domino
Reversus in Britanniam
Instante vitae termino
Translatus est ad gloriam.

7. Patri, proli, paraclito
Laus cum honore debito,
Qui nos per hujus merita
Solvat a morte debita.

Legenda ms. Trecorensis. saec. 15. Cod. Parisien. 1148.

446. De sancto Tudgualo.

Ad Laudes.

1. Haec festa cives coelici
Totis celebrant viribus,
Hymni canuntur metrici,
Coelum resultat plausibus.

2. Maria plena gaudio
Cantans amoris canticum,
Quem ventre gessit proprio,
Regem tuetur coelicum.

3. Subserviunt archangeli
Primo loco post virginem,
Subinde psallunt angeli
Suum tenentes ordinem.

4. Gaudent prophetae providi
Cum patriarchis credulis
Et caritate fervidi
Festum celebrant praesulis.

5. Apostoli conjudices
Summi futuri judicis
Melos canunt multiplices
Cum canticorum canticis.

6. Hic martyres fortissimi
Palmae gerunt insignia
Pro praesulis piissimi
Gaudent perenni gloria.

7. Quam grata confessoribus
Tanti patris solemnitas,
Communis est concivibus
Concivium felicitas.

8. Chorus coruscat virginum
Candente candens lilio
Coelestiumque carminum
Festum colit praeconio.

9. Tudgualus, heros inclitus,
Congratulans cum fratribus
Laudat pios exercitus
Pro mutuis honoribus.

10. Laudes patri cum filio,
Cum spiritu sanctissimo
Canat fidelis concio
Amore devotissimo.

Legenda ms. Trecorensis saec. 15. Cod. Parisien. 1148.

447. De sancto Turiano.

1. Vocibus Christo pariter melodis
Vota solvamus Turiani festa
Temporis pleno redeunte cursu
Rite colentes.

2. Hujus acceptos Domino labores
Vita mox felix juvenilis aevi
Luce virtutum nimium micantis
Reddidit omnes.

3. Moribus clero speculum honestis
Exstitit vitae decus et perennis,
Actibus complens monitis celebres
Paeduce Christo.

4. Pontifex demum viguit superna
Gratia, Christo meritis et junctus,
Mortuis vitam tribuit et vivis
Aethera pandit.

5. Morte suprema revocans puellam,
Mente compunctus lacrimis parentum,
Gressibus vivam dedit hanc redire
Patris ad aedem.

6. Eloqui plectro modulante lingua
Facta vix possent luculenta valde
Cuncta, quae vivens Domini patravit
Munere largo.

7. Supplices per quem veniam mereri,
Poscimus cuncti, scelerum cavendo
Gaudiis nec non super astra jungi
Summe beatis.

8. Conferat nobis Deitas hoc alma
Patris et prolis simul atque sancti
Spiritus, cujus honor idem et par
Claret ubique.

Hymn. ms. S. Germani a Pratis saec. 14. Cod. Parisien. 12040. A. — Brev. ms. S. Germani a Pratis saec. 14. Cod. Parisien. 13239. B. — 1, 3 Tempore B. — 3, 4 Perduce A.

448. De sancto Turiano.

Ad Vesperas.

1. Psallat ecclesia voce multiplici
Laudum praeconia sancti mirifici,
Decantent, eia, coetus angelici,
Mundus laetitia laetetur duplici.

2. Proles Britannica Turianus fuit,
Qui in Armorica parentes habuit,
Jura dominica cum terris respuit,
Deserens modica majora meruit.

3. Dolum ingrediens ad oves mittitur,
Literas nesciens statim instruitur,
Gradatim gradiens praesul efficitur,
Benignus, patiens cunctis ostenditur.

4. Ut Martha volvitur cum temporalibus,
Ut soror alitur spiritualibus,
Sic sanctus igitur vernans virtutibus
Sorores sequitur actisque moribus.

5. Dum sanctus praedicat praesente populo,
Jesum, quem indicat, in throni circulo
Videns glorificat, viso miraculo
Congaudens emicat magnus cum parvulo.

6. Angelos etiam, ut Deo offerunt,
Testamentariam arcam qui deferunt,
Vidit hierarchiam, quam trinam asserunt,
Tribusque gloriam personis referunt.

7. Te, summa trinitas, quam idem credimus,
Ut tuos visitas, sic nos deposcimus,
Per tuas semitas duc nos, quo tendimus,
Coronas inclitas da, quas amisimus.

Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. — 6, 3 hierarchicam.

449. De sancto Turiano.

Ad Nocturnum.

1. Dolus prae sociis psallere studeat,
Et ex praecordiis canticum exeat,
Dolus praeconiis floret et floreat,
Clarus prodigiis Dolus non doleat.

2. Sidus Britanniae lumen parturiens,
Lucens quotidie, ecclipsim nesciens,
Adsis ecclesiae tuae subveniens,
Ab hostis rabie chorum eripiens.

3. Hic sanctus aperit coelum, dum loquitur,
Siccitas deperit, pluvia redditur,
Quam morbus reperit, plebs sana graditur,
Hos virtus operit, a quibus poscitur.

4. Sanctus, quem visitat gratia supera,
Ad vitam excitat tria cadavera,
Duos resuscitat cum una tenera,
Sic nobis recitat famaque litera.

5. Hunc ornat sanctitas, veritas instruit,
Vulnerat caritas, castitas abluit,
Ducit benignitas, bonitas induit,
Tenet humilitas, largitas circuit.

6. O pastor nobilis vitaque genere,
Pincerna dapsilis erogans libere,
Sis nobis utilis, fac nos sic vivere,
Ut caro fragilis nequeat cadere.

7. Honor, aeternitas, laus, jubilatio
Sit tibi, trinitas, et benedictio,
Integra deitas, de tribus unio,
Duobus unitas laudis cum tertio.

Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. — 1, 1 Solus prae. — 4, 1 susperna.

450. De sancto Turiano.

Ad Laudes.

1. Aurorae claritas picturat aethera,
Fugantur caecitas hostisque scelera,
Christi suavitas medicat vulnera,
Ejus benignitas dat mundo foedera.

2. Ruallo rabie movetur nimia,
Urens abbatiae sacra coenobia,
Vulpis ecclesiae corrodens folia
Libri fert impiae mortis suspiria.

3. Princeps militiae coelestis mittitur,
Columbae specie cum sancto loquitur,
Tyranno veniae jugum imponitur,
Damnum ecclesiae septemplex redditur.

4. Meldoch affligitur, quam gravat obitus,
Sentit et patitur doloris gemitus,
In fine moritur, recedit spiritus,
Plorans conqueritur Gozgal attonitus.

5. Fletum cum precibus sanctus commiscuit,
Qui coram omnibus puellam tenuit,
Ruptis doloribus mortis convaluit
Et hanc parentibus vivam restituit.

6. Nos, gemma praesulum, ut tuos dilige
Tuisque pabulum omnibus elige,
Clerum et populum errantes corrige,
Duc nos per saeculum salutis remige.

7. Una divinitas, aequalis gloria,
Sit tibi, trinitas, laus et potentia,
O triplex claritas, una substantia,
Duc nos per semitas ad vitae atria.

Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. — 1, 2 Fugatur. — 4, 4 Gozogal sonst Quoidgual oder Guridgal. Acta SS. Julii III, 589 und 593.

451. De sancto Urbano.

Ad Vesperas.

1. Urbanum urbis nomine,
Coelestis civem curiae,
Festa pangunt solemnia
Mundi per omnis climata.

2. Sublimis sacerdotio,
Corruscans et martyrio,
Urbane praesul, meritis
Succurre tuis famulis.

3. Romanae sedis apicem
Ut gubernasti celebrem,
Tuam rege familiam
Inducens vitae patriam.

4. Rusticitatem vitii
Nobis aufer ingeniti
Et nos urbanos reddito
Urbis supernae domino.

5. Inolita praeconia,
O praedicanda merita
Regalis hujus militis,
Martyris et antistitis.

6. O doctorem eximium,
Pastorem praestantissimum,
Quo docet ire monitis,
Ostendit via sanguinis.

7. Hoc, fratres, fantur martyres,
Quos consecravit, pariles,
Simul Christi Caecilia
Argumentosa famula.

8. Hi tui fructus jugeris,
Tui manipli seminis,
His nos adauge frugibus
Beatis, pater, cultibus.

9. Coelestis orbis optime,
Nos te rogamus, Domine,
Hujus Urbani meritis
Ejus urba nos effice.

Brev. ms. Trecense saec. 13. Cod. Trecen. 1147 add. saec. 15. A. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1981. B. — 5, 1 O inolita AB. — 8, 2 manipuli A. — 9, 3 Urbane A.

452. De sancto Urbano.

Ad Laudes.

1. Urbane, testis inclite,
Athleta Christi splendide,
Tuorum voces supplicum
Audi ferens suffragium.

2. Romanis fulgens arcibus
Tuendis praesul plebibus,
Caeso prostratus corpore
Coelum mereris sanguine.

3. Valerianum martyrem,
Fratrem simul Tiburtium
Divino lustrans lumine
Sacro tinxisti gurgite.

4. Opem ferebas miseris
Egentes alens copiis,
Novit virgo Caecilia,
Quae tu serebas dogmata.

5. O pastor praestantissime,
Tuos ad nos convertere
Vultus dignare, quaesumus,
Nostris placatus vocibus.

6. Det conditoris gloria
Purgare nostra crimina,
Ut nos mundatos sordibus
Conscribat in coelestibus.

Brev. ms. Trecense saec. 13. Cod. Trecen. 1147. add. saec. 15. A. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1981. B. — 2, 1 Rogamus fulgens AB. — 6, 1 Et conditoris A. — 6, 2 Purgari A.

453. De sancta Ursula.

1. O felix chorus virginum,
Quae per magnum martyrium
Secutae sponsum Dominum
Solem vident perpetuum;

2. Calcatis mundi gaudiis,
Mortalibus connubiis,
Divitiis, deliciis
Et hominum blanditiis;

3. Minis spretis diaboli,
Cunctis ejus fallaciis,
Ut sponsae Dei filii
Essent in arce aetheris.

4. Cum quo post carnis gravia
Ac post saeva pericula
Sequuntur coeli gaudia
In perenni palatia.

5. Idcirco, sanctae virgines,
Oramus nos unanimes,
Ut a nostris criminibus
Vestris mundemur precibus.

6. Utque vestris suffragiis
Nos mixti piis choreis
Cum angelorum coetibus
Dicamur coeli civibus.

7. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Cum quo gubernat omnia
Per saeculorum saecula.

Brev. ms. Nobiliacense saec. 13. Cod. Burdigalen. 85. — 4, 4 palatia als femininisierter sächlicher Plural zu fassen. Vgl. Analecta Hymnia VII, Einleit. — 6, 1 Atque Hs.

454. De s. Ursula et Sociis.

Ad Nocturnum.

1. Plasmatorem idoneum
Laudet nostra devotio,
Qui candorem virgineum
Pingit martyrum minio.

2. Novi decorem lilii
Decorat color roseus,
Dum zelo Dei filii
Fluit sanguis virgineus.

3. Vernat in sexu fragili
Virilis animositas,
Vincit morte laudabili
Virginalis teneritas.

4. Undenum millenarium
Implet virginum passio
Ut sic milia milium
Ministrent Dei filio.

5. Tu, virgo, cujus nominis
Non habemus notitiam,
Ad laudem Christi numinis
Impetra nobis gratiam.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
In cujus vincunt nomine
Virgines in certamine.

Brev. ms. Pisciacense saec. 14. Cod. Parisien. (Arsen.) 603. A. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 70. B. — Brev. ms. Claromontense anni 1454. Cod. Claromonten. 73. C. — Psalt. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 74. D. — Brev. ms. Claromontense anni 1335. Cod. Claromonten. A 4 c. E. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 39. F.

1, 3 candore virginum A, cantorem virgineum B. — 1, 4 martyrium nimio ABE, virtutum nimio C. — 2, 1 Cui decorem A. — 2, 3 filii Dei C, Dei fehlt B. — 3, 1 Servat in sexu A. — 3, 2 Virili B. — 3, 3 Vincit amore C. — 3, 4 erenitas A. — 4, 3 milium fehlt A. — Str. 5 fehlt A. — 5, 2 Notitiam non habemus BC. — Mel.: Lauda mater ecclesia D.

455. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. O Jerusalem filiae,
Cum cantico laetitiae
Dilecto citharizantes,
Conservate nos laudantes.

2. En ante thronum gloriae
Sion resultant filiae
Hymnizantes, jubilantes,
Contemplantes, adorantes.

3. Debriantur suavitate
Contemplata honestate,
Totae ardent in amore,
Summo laudant cum dulcore.

4. Laus, honor, sponso virginum
Et nunc et in perpetuum,
Qui nos sanctarum meritis
Conjungat coeli gaudiis.

Brev. ms. Pisciacense saec. 14. Cod. Parisien. (Arsen.) 603. — 3, 1 suaviter Hs.

456. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Gaude coetus fidelium,
Agens laeta solemnia,
Coelo de valle flentium
Grata mittis exennia.

2. Chorus sacratus virginum
Offertur regi luminum,
Et castitate niveus
Et sanguine purpureus.

3. Has praeit virgo Ursula
Harum ductrix et primula,
Quas mater Dei suscipit,
Sibi consortes efficit.

4. Aula supernae curiae
Concurrit plena gaudio,
Cives coelestis patriae
Locant aeterno solio.

5. Virgines Dei inclitae,
Mentem nostram erigite
In lucem, ducem, terminum,
Vestrum sponsum et Dominum.

6. Sponso, regi et Domino
Pure, caste viventium
Laus, cujus sine termino
Virtus, decus, imperium.

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 14. Cod. Parisien. 916. A. — Brev. ms. Avenionense saec. 15. Cod. Lugdunen. 468. B. — Antiph. ms. S. Desiderii Avenionen. saec. 15. Cod. Avenionen. I. C. — Brev. ms. FF. Minorum de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. D. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2864. E. — Brev. Vasatense imp. Vasati 1530. F. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. G.

1, 4 encennia B. — 2, 3 Et caritate ABCDEG. — 3, 2 est primula A; premula G. — 4, 2 pleno gaudio BG. — 6, 3 Laus ejus A.

457. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. Tu Christe nostrum gaudium,
Dux, lux et decus virginum,
Sors, corona et praemium,
Sponsus et dator munium.

2. Normam dedisti gratiae,
His florem pudicitiae
Amoremque constantiae,
Fructum perseverantiae.

3. His pignoratae gratiis
Fraudes carnis et saeculi
In aeternae dulcedinis
Pugna vincunt mirabili.

4. Infirmo sexu fragili
Superbus hostis vincitur,
Mente fida laudabili
Dolor, terror, mors frangitur.

5. Tantas et tales eligit
Christus sponsas et famulas,
Quas ducit, docet, dirigit
Ad coronas perpetuas.

6. Sponso, regi et Domino
Pure, caste viventium,
Laus, cujus sine termino
Virtus, decus, imperium.

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 14. Cod. Parisien. 916. A. — Brev. ms. Avenionense saec. 15. Cod. Lugdunen. 468. B. — Antiph. ms. S. Desiderii Avenionen. saec. 15. Cod. Avenionen. I. C. — Brev. ms. FF. Minorum de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. D. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2864. E. — Brev. Vasatense imp. Vasati 1530. F.

1, 1 Te Christe C; verum gaudium CDF. — 2, 1 Formam dedisti C. — 3, 1 pignerare A. — 5, 1 eligis BCD. — 5, 2 Christe BCD. — 5, 3 ducis, doces, dirigis BCD.

458. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Aeterna sapientia
Infirma mundi eligit,
Christus undena milia
Format, firmat et perficit.

2. De terra sicca, sterili
Flores, fructus mirabiles
Legit usu laudabili,
Forma, virtute habiles.

3. Fructus ipse virgineus
Natus Maria virgine,
Mundus, clarus, purpureus,
Non ex humano semine,

4. Mundas, claras, purpureas
Sibi conformes eligit,
Carne natas aethereas,
Sacratas sponsas efficit.

5. Fructus iste virginei,
Verbo, vita siderei,
Utrumque purgent hominem,
Deum reddant placabilem.

6. Sponso, regi et Domino
Pure, caste viventium
Laus, cujus sine termino
Virtus, decus, imperium.

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 14. Cod. Parisien. 916. A. — Brev. ms. Avenionense saec. 15. Cod. Lugdunen. 468. B. — Antiph. ms. S. Desiderii Avenionen. saec. 15. Cod. Avenionen. I. C. — Brev. ms. FF. Minorum de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. D. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2864. E. — 4, 3 aethereis B.

459. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Amore Christi nobilis,
Chorus sacrarum virginum,
Laetis miscetur jubilis
Angelicorum agminum.

2. Candore nitens lilii
Et decore virgineo,
Ex virtute martyrii
Rubore fulget roseo.

3. O virgo prudens, Ursula,
Quae virginum exercitum
Collegit cura sedula
Christoque fecit subditum.

4. Beatae quoque virgines,
Ursulae sanctae monitis
Ad angelorum ordines
Miris transvectae meritis.

5. Omnipotenti Domino
Sit honor et imperium,
Qui nos in vitae termino
Ducat ad coeli praemium.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 354 (787). — 1, 2 sacrum. — 1, 4 Angelo.

460. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Magnificemus Dominum,
Qui sibi nova gloria
Sanctissimarum virginum
Junxit undecim milia.

2. Ad Ursulae conveniunt,
Laudabile consortium,
Virgines, a qua capiunt
Fidei magisterium.

3. Gratia Christi comite
Junctis sibi praesulibus,
Summo quoque antistite,
Obviam pergunt hostibus.

4. Nam ad urbem Coloniam
Sub Christo duce properant,
Sumunt triumphi gloriam,
Ut coelitus praeviderant.

5. Uni Deo sit gloria
Pro munere multiplici,
Qui virginum in patria
Det nos concives effici.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 354 (787). — 2, 3 Virgines aquam capiunt. — 4, 2 Dux Christo duce.

461. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Jesu Christe, salvator virginum,
Quae spreverunt amplexus hominum,
Tu coronas reddis certaminum
Vincentibus auctorem criminum.

2. Ponunt pro te corpus virgineum,
Tibi libant cruorem roseum,
Per ascensum lotae purpureum
Gaudent subtus altare aureum.

3. Te virginum undena milia,
Agnum pascentem inter lilia,
Subsequuntur tua in atria
Jubilando jugi laetitia.

4. Sponse, sponsas orare facias,
Quas pro nobis clemens exaudias.
Delendo culpas et miserias
Duc nos inter dilectas filias.

5. Sit laus Deo patri ingenito,
Virtus nato sit unigenito
Cum spiritu simul paraclito
Pro virginum honore debito.

Brev. ms. S. Mariae Trimmen. saec. 15. Cod. Collegii ss. Trinitatis Dublinen. B 3. 12. A. — Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. B. — 1, 1 Jesu, rex, salvator B. — 3, 3 tua materna A.

462. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Resonet ecclesia
laudum modulamina
Virginum et martyrum
celebrans certamina.

2. Has in prelo passionis
attrivit acerbitas
Et tortoris saevientis
discerpsit crudelitas.

3. Jam exutae carnis mole
Christum sine nubilo
Prosequuntur collaudantes
cum jucundo jubilo.

4. Nunc suarum nobis precum
conferant suffragia,
Ut cum ipsis gloriemur
in coelorum regia.

5. Sit laus patri, virtus nato,
gloria spiritui,
Creatori, redemptori
rectorique saeculi.

Brev. ms. Farense saec. 14. Cod. Mazarin. 349 (761). A. — Brev. ms. S. Mariae Trimmen. saec. 15. Cod. Collegii ss. Trinitatis Dublinen. B 3. 12. B. — Brev. ms. saec. 14. Cod. Bollandian. s. n. C. — Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. D. — 2, 1 Vas in C; in proelio D. — 2, 4 credulitas A. — 3, 2 sine nebulo A. — 4, 2 subsidia B. — 4, 4 coelesti regia A; coelorum gloria B. — 5, 4 que fehlt B.

463. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. Virginibus prudentibus,
Pro Christo decertantibus,
Erectis sursum mentibus
Claris psallamus vocibus.

2. Pro summi regis filio
Se dedere periculo,
Caesa cervice gladio
In regni fulgent solio.

3. Sit laus perpes trinitati,
Compar honor unitati,
Quae nos choro virginali,
Vitae jungat aeternali.

Brev. ms. Farense saec. 14. Cod. Mazarin. 349 (761). A. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). B.

464. De sancta Ursula.

1. Virginibus prudentibus,
Pro Christo decertantibus,
Erectis sursum mentibus
Claris psallamus vocibus.

2. Quae fide junctae Domino
Contempto nequam saeculo,
Caesa cervice gladio
In regni gaudent solio.

3. O summi regis inclitae
Sponsae simul et filiae,
Nos impetrate vivere
Semper in coeli requie.

4. Praesta, Jesu, rex virginum,
Ut per ipsarum meritum
Regnum nobis sidereum
Donetur in perpetuum.

Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Avenionen. s. n. A. — Brev. ms Diense saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 134. B. — 1, 2 Claris fehlt B. — 2, 1 fide mente B. — Der Hymnus hat mit dem vorhergehenden nur die erste Strophe gemeinsam.

465. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Virginali concioni
deferamus pariter,
Cujus laudem vox sonora
nunc decantet dulciter,
Hostem dirum quae devicit
decertando fortiter.

2. Istos flores redolentes
gravis hiems torruit,
Insignitos fide Christi
mundus fremens horruit,
Sceleratus dux Hunnorum
atrociter obruit.

3. Victor ferus ferrum vibrat
in membra virginea,
Dissecatur et procumbit
illa seges florida,
Quam festive Christus transfert
ad regna siderea.

4. Jam beatae concionis
nos addat collegio
Ipse pater, rex virtutum,
cum dilecto filio,
Cujus virtus, laus et honor
manet sine termino.

Brev. ms. Farense saec. 14. Cod. Mazarin. 349 (761). A. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). B. — 1, 6 deterrendo fortiter A. — 2, 2 corruit AB. — 2, 4 sq. horruit sceleratus fehlt B. — 4, 1 Nam beatae B; concioni A.

466. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Sanctarum virginum divina gratia
Sequentes Dominum coetus ex Anglia
Collaudent omnium regis in gloria
Reginam matrem gratiae.

2. Harum est Ursula prima fidelium,
Quae Dei famula, flos quasi lilium,
Gaudet tot milibus fieri virginum
Regalis primiceria.

3. Collectae citius per regem Angliae
Omnes quantocius mittuntur Ursulae,
Sic de Britannia transit Coloniam
Exsultans cum sodalibus.

4. Ad urbem properat felix haec Ursula
Et ejus praesuli praesentat milia
Tot, fit ecclesia exsultans jubilo
De coeto tanto virginum.

5. Cum pleno numero redit Coloniam,
Ubi martyrio vincunt saevitiam,
Cessit his gladius sanctis virginibus
Non vincens in victicibus.

6. O virgo virginum, mater et domina
Quae paris Dominum, haec tua Ursula
Venit tot milium cincta familia
Ad regem, cui gaudia.

7. Sit sponso virginum aeterna gloria,
Qui lumen luminum regnat in patria,
Idem substantia cum patre, flamine,
Nos juvet harum precibus.

Brev. ms. Praedicat. Italic. saec. 14. Cod. Londinen. Add. 17007. — 2, 3 virginibus.

467. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. Gaude, felix Britannia,
Mirum parens prodigium,
Dum regalis prosapia
Novum producit lilium.

2. Virginale collegium
De carne legit Ursula,
Dum sacrum per oraculum
Nectit optata foedera.

3. O stupendum miraculum
Virginalis munditiae,
Stupet mundus spectaculum
Tantae coelestis gratiae.

4. Cum de terra colligitur
Fulgens de luto radius,
Coelum terrae conjungitur,
Terra nubet sideribus.

5. Patri, prolique flamini
Sit honor, virtus, gloria,
Qui nos virginum virgini
Jungat semper per saecula.

Brev. ms. Praedicat. Italic. saec. 14. Cod. Londinen. Add. 17007. — 2, 2 De carne elegit. — 2, 4 Micat optata.

468. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Sponsus dum credit, virginum
Mittit undena milia,
Illa subit navigium,
Vento pertransit maria.

2. Roma stupet collegium,
Clerus occurrit obviam,
Papa spernit fastigium,
Suspirat ad victoriam.

3. Ductus est chorus virginum
Intus accensus flamine,
Certus spirat ad praemium,
Intrat terram Coloniae.

4. Sponsus terrenus Ursulae,
Carnis spretor conjugii,
Fit per palmam victoriae
Frater coetus virginei.

5. Patri, prolique flamini.

Brev. ms. Praedicat. Italic. saec. 14. Cod. Londinen. Add. 17007.

469. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. O summi patris unice,
Summum decus certaminum,
Tuarum laude virginum
Ad tuas laudes respice.

2. Inter tot mundi tribulos
Haec virginalis legio
Virtutum privilegio
Vernantes legit flosculos.

3. Hic spinae rosas germinant,
Mutato stupent germine,
Hic amputato crimine
Naturam suam terminant.

4. Crimen nativi sanguinis
Lavant in agni sanguine,
Pro sibi dato lumine
Laudant datorem luminis.

5. Aeterno patri gloria,
Laus coaeterna filio,
Procedenti de patrio
Corde virtus per omnia.

Brev. ms. saec. 14. in. Cod. Bollandian. s. n.

470. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Ave, flos pudoris,
Ursa, sponsa Christi,
Cujus dote floris
Sponso placuisti.

2. Sumens in undenis
Milibus primatum,
Triumphum in poenis
Obtines optatum.

3. Solve reos, Christe,
Virginum ad vota,
Quibus chorus iste
Vota dat devota.

4. Monstra te ductorem
Harum in sequela,
Impugna victorem
Regem in tutela.

5. Virgo, quae conducis
Virgines ad caelum,
Quas ad sponsum ducis
Per amoris zelum.

6. Vitam Deo gratam
Harum imitemur
Mortemque beatam
Semper veneremur.

7. Sit laus trinitati,
Virginum coronae,
Cui simus grati
Per te, Jesu bone.

Brev. ms. Lirinense saec. 15. Cod. Parisien. 10486. A. — Brev. ms. Segusinum saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 137. B. — Brev. ms. S. Victoris Massilien. anni 1497 (Privatbesitz). C. — 5, 3 Et ad sponsum B.

471. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. Quem terra tremit Dominum,
Mare tremiscit, trepidat,
Hic inter choros virginum
Sibi quietem dedicat.

2. Cui luna, sol et sidera
Cultum honoris exhibent,
Hunc harum pia viscera
Per caritatem possident.

3. Beata mater Ursula,
Quae tot in Christo genuit,
Quae spreta carnis copula
Christum in sponsum habuit.

4. O tam coeleste lilium
Adhuc in carne posita,
Quae liliis convallium
Es facta coeli semita.

5. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine.

Brev. ms. Lirinense saec. 15. Cod. Parisien. 10486. A. — Brev. ms. S. Victoris Massilien. anni 1497 (Privatbesitz). B. — 4, 1 Beata coeli lilium B.

472. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. O gloriosa insula,
Quae tot abundas floribus,
Quorum collectrix Ursula
Sponsi placet amplexibus.

2. Quod Eva credens corruit,
Harum pellit prudentia,
In quas hostis non potuit
Sua uti versutia.

3. Tu regis ad convivium
Tot introducens milia,
Da post praesens exsilium
Tua sequi vestigia.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Lirinense saec. 15. Cod. Parisien. 10486. A. — Brev. ms. S. Victoris Massilien. anni 1497 (Privatbesitz). B. — 2, 4 Uti sua B.

473. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Chorus novae Jerusalem
Nostra laudet cum acie
Regem natum in Bethlehem
De dono suae gratiae.

2. Qui gloriam coelestibus
De virginum victoria,
Pacem dedit terrestribus
Summa digna memoria.

3. Novum genus militiae,
Caesis visis in aere
In armis mirae gloriae
Fit fuga gentis barbarae.

4. Sic reprobis hominibus
In sensum datis reprobum,
Desideratum civibus
Obsessis patet gaudium.

5. Sit patri sponsi virginum
Ipsique sponso gloria
Cum spiritu, qui gaudium
Hic donet et in patria.

Brev. Grassense imp. s. l. et a. (1528).

474. De sancta Ursula.

1. Jesu, corona virginum,
Per quem undena milia
Ab omni labe criminum
Munda sunt super lilia.

2. In earum memoria
Tibi devote psallimus
Pro collata victoria,
Quam jucunde recolimus.

3. Ardenti desiderio
Venientes Coloniam
Coronantur martyrio
Per Hunnorum insaniam.

4. Sed ipsis, quas occiderant,
Hostes coacti cedere,
Ab urbe, quam obsederant,
Fuga certant evadere.

5. Gaudet mater Britannia,
Sed majus habet gaudium
Gregis hospes Colonia,
Per quem evasit gladium.

6. Praesta, beata trinitas,
Ut earum suffragio
Tua nos servet bonitas
A peccati contagio.

Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Laudunen. 256. A. — Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracen. 93. B. — Brev. Cameracense imp. Parisiis 1497. C. — 5, 4 Per quam C.

475. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Laudemus Christi gratiam
Et virginum constantiam,
Quarum exemplo fulgida
Splendet mater ecclesia.

2. Quae carnis continentia
Sectantes semper Dominum,
Fragrantes sicut lilia
Reddunt odorem optimum.

3. Quarum Deus suffragiis
Absolve nos a vinculis
[Culparum ac] peccaminum,
Quibus gravamur nimium.

4. Praesta, pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Brev. ms. Carmelit. Anglic. saec. 15. Cod. Collegii Universitatis Oxonien. 9. — 2, 3 Fragrantes propter Deum ut lilium Hs. — 3, 3 vier Silben fehlen am Vers. Was an Stelle des Fehlenden in Klammern steht, darf sich schwerlich versprechen, gerade das Ausgefallene erraten zu haben.

476. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. Jesu, corona milium
Fulgens undecim virginum,
Septus choreis martyrum
Exstas ante principium.

2. Jesu, nostra redemptio,
Adsit sanctarum legio,
Humilium devotio,
Tu nobis sis adoptio.

3. Jesu, salvator martyris,
Ursulae salus virginis,
Ipsius nunc suffragiis
Nos tuis salva gremiis.

4. Jesu, redemptor hominum
Et mulierum martyrum,
Laudes canentes virginum
Sustolle nos et milium.

5. Praesta, pater humilium
Clemens undecim milium,
Prece sanctarum virginum
Polum scandamus martyrum.

Brev. Camaldulense imp. Florentiae 1484.

477. De sancta Ursula.

Ad Tertiam.

1. Ecce, dies omni plena
Rutilat laetitia,
Dulciori cantilena
Jubilat ecclesia
Quia virginum undena
Sursum mittit milia.

2. Istae virgines electae
Specular munditiae,
Cum nata regis collectae
Ursula Britanniae,
Romam peregre profectae,
Passae sunt Coloniae.

3. Sicut oves trucidantur
Barbarorum gladio,
Lilia virginitate,
Rosae sunt martyrio,
Sertis binis coronatae
Cum honore nimio.

4. Istis floribus ornatur
Coeleste rosarium,
His lucernis illustratur
Regale palatium,
His sodalibus laetatur
Sanctorum collegium.

5. Sit laus tibi, summe bone,
Qui facis magnalia,
Qui confirmas in agone
Virgines constantia,
Quarum intercessione
Nobis des coelestia.

Brev. ms. S. Mariae de Duna saec. 13/14. Cod. Semin. Brugen. 184 (54). A. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Cameracen. 100. B. — 1, 5 virgines A. — 2, 2 Specula A.

478. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. Pange, lingua, virginale
Decus et praeconium
Et collauda triumphale
Virginum martyrium,
Quarum angelis aequale
Castum est collegium.

2. Ecce, virginum undena
Sociantur milia,
Fumo gaudia terrena
Reputant similia,
Conversantur in amoena
Paradisi patria.

3. Pari voto castitatis
Conjunctae cum Ursula,
Regi nubunt majestatis,
Agno sine macula,
Dulci semper caritatis
Cohaerentes copula.

4. Nihil eis cum obscoenis,
Nihil cum lascivia,
Semper tractant de serenis
Et de sponsi gloria,
Brevibus mercantur poenis
Sempiterna gaudia.

5. Patrem, natum, sacrum flamen
Collaudemus Dominum,
Qui victoria certamen
Consummavit virginum,
Quarum beet per precamen
Nos post vitae terminum.

Brev. ms. S. Mariae de Duna saec. 13/14. Cod. Semin. Brugen. 184 (54). A. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Cameracen. 100. B. — Brev. ms. Carmelit. Anglic. saec. 15. Cod. Collegii Universit. Oxonien. 9. C. — Brev. S. Petri Insulen. imp. Parisiis 1533. D.

479. De sancta Ursula.

1. Coelum resonet laudibus
Sacrum gerens tripudium,
Cujus undenis milibus
Christus auget consortium.

2. Pulcher hodie virginum
Coetus migrat e saeculo,
Adhaeret luci luminum
Fracto carnis ergastulo.

3. Coeli venter eburneus,
Decore pictus vario,
Harum morte purpureus,
Virginum candet lilio.

4. Regali sata sanguine
Virgo procedit Ursula,
Divino plena numine,
Regis aeterni famula.

5. Deposcit virgo virginum
Coetum meritis inclitum,
Quarum est apud Dominum
Merces magnumque meritum.

6. Cui patre cum inclito
Honor, virtus et gloria
Et spiritu paraclito
Saecula sit per omnia.

Brev. ms. Cisterc. Italic. saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 343.

480. De sancta Ursula.

1. Hae sunt adolescentulae,
Quae nimis Christum diligunt,
Pro Christo Christi famulae
Corpus tormentis subigunt.

2. Albis vallatae choreis
Coeli petunt vestigia
In vestimentis aureis
Cum triumpho et gloria.

3. O quam felix commercium
Pro terrenis coelestia,
Contemptu mundialium
Coeli mercantur gaudia.

4. Coelestis nempe curia
Gratanter his obsequitur,
Sponsus decorus gloria
Sponsas sacras amplectitur.

5. Harum placatus precibus
Cuncta depellat noxia
Nosque cum coeli civibus
Ad coeli ferat gaudia.

6. Cui patre cum inclito
Honor, virtus et gloria
Et spiritu paraclito
Saecula sit per omnia.

Brev. ms. Cisterc. Italic. saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 343. — Als Divisio des vorhergehenden. Scheint indes seiner ganzen Haltung nach eher als selbständiger Hymnus gedacht.

481. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Gaude, turba candidata
Venustarum virginum,
Quae cum lampade parata
Sponsum Christum Dominum
Praevenisti purpurata
Rubra veste sanguinum.

2. Occidentis novae stellae
Rutilant in partibus,
Velut plantulae novellae
Fecundatae fructibus,
Carne fragiles puellae,
Canae tamen sensibus.

3. Has collectas illustravit
Luna splendens Ursula,
Quas in sacra confirmavit
Christiana regula,
Cum his Romae visitavit
Sacra loca singula.

4. Romae sanctis visitatis
Certae de oraculo
Pergunt navibus levatis
Dei gubernaculo,
Se Coloniae contatis
Sistunt voto sedulo.

5. Christi hostes et sanctorum
Barbari cum furia
Prodeuntes sacrum chorum
Harum cum immania
Mactant caede gladiorum,
Validum victoria.

6. Cum sponsari reservata
Ductrix duci respuit,
Est sagitta proforata,
Orans sic occubuit,
Sociabus sociata
Lauream obtinuit.

7. Turba undecim millena,
Servos tuos visita,
In acerba mortis poena
Nostra mala merita
Tegens impetra de vena
Flaminis gratuita.

8. Sit potenti, sapienti
Clementique gloria,
Uni trino permanenti
Decus et victoria,
Qui nos regat in praesenti
Per haec transitoria.

Brev. Vallisumbrosae imp. s. l. et a. — 1, 6 Rubra. — 2, 5 fragile.

482. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Vale virgo jam cum tuis
Sociabus Ursula,
Quae per orbem fama fluis
Velut fumi virgula,
Juris taetra cuncta luis
Lucens quasi sphaerula.

2. Plures virgines sectantur
Virginis vestigia,
Carnem, mundum aspernantur,
Daemonum letigia
Vincunt, Christum amplexantur,
O magna prodigia.

3. O felices, quae sprevistis
Nuptias carnalium,
Nam sponsari meruistis
Regi supernalium,
Pro quo mori non pavistis
More animalium.

4. O jam, incolae coelestes,
Miseros adspicite,
Nosque devios scelestes
Ad Christum reducite,
Ne nos daemones agrestes
Devorent, succurrite.

5. Nostram domum conservate,
Visitate tumulum,
Portam quoque defensate,
Nostrae mentis oculum
Ad supernos elevate,
Respuat ut saeculum.

6. Sit potenti, sapienti
Clementique gloria,
Uni trino permanenti
Decus et victoria,
Qui nos regat in praesenti
Per haec transitoria.

Brev. Vallis Umbrosae imp. s. l. et a.

483. De sancto Vigore.

In 1. Vesperis.

1. Deus, protector omnium,
Spes, salus et refugium
In te vere credentium,
Preces exaudi supplicum.

2. Almi Vigoris praesulis,
Cujus dies est celebris,
Meritis suffragantibus
Nostris intende vocibus.

3. Qui plenus Dei gratia
Ejus atque fiducia
De serpente teterrimo
Triumphavit in publico.

4. Cujus virtute puerum
Resuscitavit mortuum,
Ostenderet quo populo,
Quantus erat in merito.

5. Vigor vigorem tenuit,
Contra nefandum viguit
Vincens mundi contagia,
Unde fulget in gloria.

6. Sit Deo nostro gloria,
Sit laus, honor, potentia,
Nobis sit indulgentia
Vigoris et custodia.

Brev. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Paris. BBL. 4° 19.

484. De sancto Vincentio.

1. Gaude, turba fidelium,
Choris juncta coelestium
Devote colens annua
Vincentii solemnia.

2. Hic enim a cunabulis
Sacris edoctus paginis
Nobilitatem generis
Vitae praecessit meritis.

3. Sub Daciano praeside,
Simulacrorum complice,
Pro statu verae fidei
Poenas subit martyrii.

4. Per tormentorum genera
Ignem, catenas, verbera,
Equulei suspendia
Tetendit ad coelestia.

5. Pro nobis, martyr inclite,
Ora Deum assidue,
Ut tecum velit Dominus
Nos perfrui coelestibus.

6. Gloria sit altissimo
Patri et ejus filio
Sanctoque sit spiritui,
Trino et uni Domino.

Brev. ms. Vedastinum saec. 13. Cod. Atrebaten. 330. A. — Psalt. ms. Wintoniense saec. 15. Cod. Cantabrigen. Dd I 20. B. — 3, 3 Pro stratu B. — 4, 2 catenis A. — 4, 4 ad coelestia fehlt B. — Die Doxologie in B lautet:

Gloria patri ingenito,
Sit honor unigenito,
Laus sit sancto spiritui
Trino Deo et simplici.

485. De ss. Vitale et Agricola.

Ad Vesperas.

1. Christe, cunctorum via, lux sanctorum,
Agricolae testis nec non et Vitalis
Prece fidei populo fideli
Gaudia pacis

2. Mitte de coelis veniamque nostris
Largire culpis pietate patris,
Adsit et nobis gratia perennis
Spiritus almi.

3. Cujus protecti munere potenti
Patrum exemplis meritisque celsis
Pariter artum mereamur altum
Scandere regnum.

4. Martyrum fortes recolunt agones
Aulae coelestis superique cives
Laudes reddendo numini supremo
Ore jucundo.

5. Pro posse nostro eis obsequendo
Laudemus patrem pariterque natum
Munus amborum simile eorum
Indifferendo.

6. Gloria patri genitaeque proli
Et tibi, compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
Tempore saecli.

Brev. ms. Claromontense anni 1335. Cod. Claromonten. A 4 c. A. Brev. ms. Claromontense anni 1454. Cod. Claromonten. 73. B. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisien. 1274. C. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. IV° 14. D. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 70. E.

1, 1 lucis sanctorum D. — 1, 3 populis fideli C. — 1, 4 Gaudia lucis D. — 3, 3 Pariter actum C; mereamur almum D. — 5, 1 eos obsequendo DE. — 5, 3 simile et eorum D; simul et eorum D. — 5, 4 In differendo C, in deferendo E. — Str. 6 scheint späterer Zusatz zu sein, da schon Str. 5 eine Doxologie enthält.

486. De ss. Vitale et Agricola.

Ad Laudes.

1. Christe, corona martyrum,
Honor decus et meritum,
Supplicum vota suscipe
Rex, victor invictissime.

2. Qui testibus victoriam
Tuis praestas et gratiam,
Ut veleant devincere
Tuo septi munimine

3. Persecutorum rabiem
Et tenebrarum principem,
Quo superato fortiter
Tecum regnant feliciter.

4. In quorum ampla gaudia
Vitalis et Agricola
Palmas gestant victoriae
Coronas portant gloriae.

5. Istorum, Christe, precibus
Esto nobis propitius,
Ut cum ipsis perpetuam
Promereamur gloriam.

6. Praestet pater et filius
Hoc et amborum spiritus,
Praestet Verax et Veritas,
Praestet amborum Caritas.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. IV° 14. A. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 70. B. — Brev. ms. Claromontense anni 1454. Cod. Claromonten. 73. C. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisien. 1274 D. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Claromonten. 61. E.

1, 1 Jesu corona DE. — 2. 1 Qui celestibus B. — 2, 4 Tuo cepti A. — 3, 3 Quem superatum ABC, vielleicht die ursprüngliche Lesart, die verbessert ward, als der Accus. absol. des 10. Jahrhunderts nicht mehr geläufig war; auch 4, 1 verrät ein ziemliches Alter des Liedes. — 5, 3 perpetua AC. — 5, 4 promereamur praemia AC; veniam B. — 6, 2 et fehlt B.

487. De sancto Vitono.

Ad Vesperas.

1. Praesulis summi celebremus omnes
Festa Vitoni meritis onusti
Ac Deo dignum resonemus hymnum
Voce canora.

2. Vir Dei morum probitate vernans,
Mira virtutum documenta praebens,
Imbuit plebem Domini polorum
Scandere regnum.

3. Inclitus pastor gregis atque rector,
Ima contemnens penetransque celsa,
Vivit in Christo renitetque cuncto
Dignus honore.

4. Miles insignis, redimitus armis
Lucis, immanem superavit anguem,
Lauream vitae meruit superno
Raptus amore.

5. Impetret nobis veniam benignus,
Solvat a cunctis miserans piaclis
Nosque deposcat jugiter foveri
Pace perenni.

6. Gloriam patri genitaeque proli,
Flamini sancto modulet caterva
Fulta Vitoni meritis beati
Nunc et in aevum.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 12. in. Cod. Virdunen. 108. A. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 12/13. Cod. Virdunen. 109. B — Brev. ms. S. Vitoni saec. 13. Cod. Virdunen. 112. C. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 111. D.

488. De sancto Vitono.

Ad Nocturnum.

1. Vitone, praesul inclite,
Christi athleta splendide,
Adesto nostris precibus,
Quas pie tibi fundimus.

2. O gloriose pontifex,
Nostrae salutis opifex,
Ut digne demus carmina,
Nostra disrumpe vincula.

3. Adesse tuis famulis
Dignare dux amabilis,
Sentiant nostra pectora
Tua semper munimina.

4. Tu es nostrum refugium,
Tu robur potentissimum,
Tu salus et protectio
Nostraque jubilatio.

5. Dona, creator omnium,
Qui es vita viventium,
Ut precibus Vitoni
Te valeamus perfrui.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 12/13. Cod. Virdunen. 109. A. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 13. Cod. Virdunen. 112. B. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 111. C. — 1, 1 Vitone Christi praesul inclite A. — 5, 3 fehlt eine Silbe am Verse.

489. De sancta Walburge.

Ad Vesperas.

1. In hac die gratulemur
Speciali gaudio,
Qui Walburgi perhibemur
Specialis concio,
Ut in morte non fraudemur
Ejus patrocinio.

2. De regali stirpe nata
Summi regis filio
Est amoris desponsata
Miro privilegio
Et in coeli collocata
Supremi fastigio.

3. In hac fulgor caritatis
Aureus resplenduit,
Hujus caro castitatis
Lilio refloruit,
Cujus vasi pietatis
Oleum non defuit.

4. Haec in vita conversata
Virtutibus claruit,
Cui luce denegata
Coeli lux emicuit,
Et saluti prece grata
Puellam restituit.

5. Claudis gressum reparavit
Virginis suffragium,
Et, quem morti condemnavit
Latens homicidium,
Miro modo revelavit
Evidens judicium.

6. Ergo, lampas Gedeonis,
Quae splendes, dum frangeris,
Verae sponsae Salomonis
Paranympha crederis,
Leva tuos tuis donis
Nos ad culmen aetheris.

7. Laudes ergo creatori
Conemur persolvere,
Qui Walburgi solus mori,
Solus fuit vivere,
Ut cum illo puriori
Regnemus in aethere.

Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520. — 1, 4 Speciali conscio. — 4, 1 conservata. — 7, 3 Walburge.

490. De sancta Walburge.

Ad Laudes.

1. Sponsum laudemus virginum,
Qui nos a labe criminum
Piae Walburgis precibus
Lavet rigans virtutibus.

2. Haec est asylus languidis,
Haec suffragatrix morbidis,
Claudis gressum restituit,
Culpae tenebras diluit.

3. Virgo sacrata, lilium
Castitatis convallium,
In qua duplex humilitas
Et duplicata caritas,

4. Speciali munditia
Agni veri vestigia
Cum ceteris virginibus
Sacris metiris passibus.

5. In coelorum ordinibus
Adaequaris virginibus,
Splendens in summo climate
Centeno diademate.

6. Ergo pro nobis supplica,
Ut nos in vita lubrica
Pendentes sine macula
Servet agnos per saecula.

7. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine.

Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520.

491. In Adventu ss. Wandregisili, Ansberti et Wulframi.

1. Te, coelum, terra, maria
Cujus tremunt imperia,
Hujus diei gratia
Poli hymnizant palatia.

2. Quis jucundantur civibus,
Nos ditamur pignoribus,
Quis illuxisti oriens
Lumen cum luce prodiens.

3. Tellus aestate subdita
Haec clamat patrocinia,
Exsultat in deliciis
Comis fulcita floridis.

4. Autumnus, verna tempora
Sua stupent cum gloria,
Dant nemorum fraglantiam
Sanctorum ob praesentiam.

5. His laetare, Blandinium,
Mons uber Dei pinguium,
Nova surgent dum saecula,
Haec ossa servans aurea.

6. Tunc, adoranda trinitas,
Carnis reddens exuvias
Fac pariter in gloria
Tua cernamus praemia.

Brev. ms. Blandiniense saec. 14. Cod. London. Add. 29253. — 2, 1 Quo jucundantur. — 4, 2 stupet. — 4, 3 Dans.

492. De sancto Wernero.

1. Abel, melos supernorum
Juniorun puerorum,
Adusque hymnos Domino
Compsallimus altissimo.

2. Beata, cujus viscera
Lactavit hic puerulus,
Conregnant super sidera
Virgo mater et filius.

3. Causa nostri verbum caro
Necat mortem moriendo
Dans exemplari speculo,
Quod famuli pro Domino

4. Dent vitam in certamine;
Quod est completum hodie
In Christi claro milite,
Sancto Wernhero martyre.

5. En impiis displicuit
Tormenta ferens aspera,
Reddens Christo, quem tribuit,
Mortem in pueritia.

6. Florens puer moriturus
Donorum sumit apicem,
Die coenae bibiturus
Mox raptus uvae calicem.

7. Hostes Judaei impii
Et homicidae pessimi,
Vos arripit mortalia
Chaos quod dat poenalia.

8. Ibat puer, quam viderat,
Trevericam Wesaliam,
Ut panem sibi quaereret,
Sed cadit in Judaicam

9. Katholicus invidiam,
Omnisque doli nescius
Et pravae sectae inscius
Ducitur in ergastulum.

10. Lumine carens coelico
Justi os globo clauditur,
Et pede versus laqueo
Puerulus suspenditur.

11. Mitis immite laeditur,
Ab impiis conciditur,
Aratur et confoditur,
Sic tormentatur triduo.

12. Nimis multa sic perpessus
Spem martyr et fiduciam
Suas imponit Domino
Dans spiritum altissimo.

13. O Wernhere mitissime,
Qui triumphasti hodie
De mundo, carne, Satana,
Precibus tuos adjuva.

14. Praestare hoc piissime
Digneris, rex sanctissime,
Et hoc precatu martyris
Tu miserere miseris.

15. Quo decore sit colendus,
Quo honoreque habendus
Miraculis comperitur,
Puer quibus is fulcitur.

16. Retro aevo pertransacto
Reflorentque similibus
Nunc nostris sub temporibus,
Surdis auris aperitur.

17. Serata lingua loquitur,
Caecus videt, stat contractus,
Mortuis vita redditur
Vigoreque confractus.

18. Te quaesumus, mitissime,
Per hujus natalitia
Praecari tibi martyris
Nos ablue criminibus.

19. Virore tu viridior
Et flore flos floridior
Lustrisque tribus junior,
Martyrum inclitissime,

20. Xristi praedulcis victima,
Relaxa nostra crimina,
Est tua vox dulcisona
Sanctorum inter organa.

21. Ymber divinae gratiae,
Qui te sulcavit hodie,
Ut ferres vitae semina,
Fecundet nostra pectora

22. Zelo, quo percipiamus
Supremae terrae bravium
Et felices capiamus
Aeternae vitae gaudium.

Passion. ms. Wesaliense anni 1429. Cod. Treviren. 1139. — Die Handsch. enthält u. a. eine „Nova historia“, in welche der vorstehende Abcdarius so verteilt ist: Die Str. A—H ad 1. Vesperas, H—M ad Tertiam, M—Q ad Sextam, Q—V ad Nonam, V—Z ad 2. Vesperas. — 18, 2 natalitio. — 19, 2 florem.

493. De sancto Wernero.

In 1. Vesperis.

1. Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Dum carus Deo traditur,
Innocens virgis caeditur.

2. Quo vulneratus insuper,
Dilaniatus ictibus,
In poenis vivens triduo
Suspensus est patibulo.

3. Arbor decora, fulgida,
De qua facta est statua,
Ad quam ligata est hostia,
Per quem fiunt miracula.

4. Beata, cujus brachiis
Nostrum pependit pretium,
Christum sequendo reperit
Effusionem sanguinis.

5. O crux, ave, spes unica,
O redemptorum gloria,
Auge piis justitiam
Reisque dona veniam.

6. Te summa, Deus, trinitas,
Collaudat omnis spiritus,
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per saecula.

Passion. ms. Wesaliense anni 1429. Cod. Treviren. 1139.

494. De sancto Wernero.

In 2. Vesperis.

1. Wernheri, Christi martyris,
Cantemus novum canticum,
Quod dulce sit psallentibus,
Opem ferat credentibus.

2. Psallamus hoc discipuli,
Laudem dicamus martyris,
Qui vere post redemptorem
Christi secutus est crucem.

3. O martyr Christi inclite,
Qui passus es gloriose,
Dilaniatus ictibus,
Te nunc dolendo plangimus.

4. In carceris caligine
Martyr Christi occiditur,
Coeleste lumen nunc micat
Et noctis umbras effugat.

5. Imploret ergo meritis
Suis pro nostris actibus,
Ut mereamur consequi
Sancta in fine praemia.

6. Te nunc oramus, Domine,
Ipsius nos munimine
Ab omni malo protege,
Vitam aeternam tribue.

Passion. ms. Wesaliense anni 1429. Cod. Treviren. 1139. Aus einer „historia“ des Heiligen, in der vielerlei rhythmische Teile vorkommen, die jedoch zusammengestoppelt sind; so sind die Antiph. ad 1. Vesp. diesem Hymnus entnommen, die Ant. zu den Nokturnen augenscheinlich einer Sequenz, das übrige ist meist prosaisch.

495. De sancto Willibrordo.

1. Ave, praeelecte
Splendor, Willibrorde,
Quem Christus tam mire
Dedit rutilare.

2. Te namque doctorem
Fore praecluentem
Ex infusa novit
Luna, quae concepit.

3. Decus conversorum
Hinc plaudit Fresonum,
Quos igne divinae
Lucis serenasti.

4. Te zelo ferventem,
Fana destruentem,
Qui vecors invasit,
Laedere nequivit.

5. Hic insidiantes
Ac nos impugnantes
Virtute potenti
Fac debilitari.

6. Siti labefactis,
Ardore contractis
Protulisti vivam
Sola prece lympham.

7. Nunc nos o aeternae
Suspirantes vitae
Indeficiente
Fac potare fonte.

8. Sit laus Deo patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus.

Brev. ms. Epternacense saec. 14. Cod. Luciliburgen. 12. A. — Brev. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 12. 10. B. — Brev. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 24. C. — Brev. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 7. D. — Brev. ms. Ruperti de Monte Regali abbatis Epternacen. anni 1506. Cod. Epternacen. s. n. E. — 2, 4 Lunaque AB.

496. De sancto Willibrordo.

1. Laetare, coeli regia,
Gaudeque jam, ecclesia,
Recolens sancti inclita
Willibrordi solemnia.

2. Qui per lunam in somniis
Illapsam matris labiis
Signatus est ex gratia
Ante ortus crepundia.

3. Hic in aetate tenera
Colens honesta studia,
Vitam Domino placidam
Egit in abstinentia.

4. Corde pius et fervidus,
Ad opus Dei strenuus,
Hoc in juventa didicit,
Quod post docendo protulit.

5. Terrae doctor egregie,
Nostrae lumen ecclesiae,
Tuo precatu sedulo
Nos salves a periculo.

6. Vitemus desideria
Carnis et mundi lubrica,
Ne sectantes inania
Privemur coeli gloria.

7. Praesta, pater ingenite,
Nate cum sancto flamine,
Ut Willibrordi precibus
Jungamur in coelestibus.

Diurn. ms. S. Martini Embricen. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 22. — 4, 2 Haec in juventa.

497. De sancto Winebaldo.

Ad Vesperas.

1. Winebaldi solemnia
Recolamus mente pia,
Ut per ejus suffragia
Procul pellantur vitia.

2. Trecassinorum pontifex,
Gallomagnus ad se vocat,
Ne perdatur ovium grex,
Lupi basilica locat.

3. Hic est, qui Lupum revocat
Senonensem episcopum,
Regis iram sic mitigat,
Ut gratus adeat thronum.

4. Hic castus, justus, sobrius,
Humilis, prudens et pius
Vixit semper egregius
Moribus pacis filius.

5. Hic plenus flatu flaminis
Jejuniorum tempora
Solvit ipse mirabilis
Praestans in abstinentia.

6. De villa Pisciacensi
Quandam sanat a languore,
Paralysis morbo gravi
Ac sanat gravatos febre.

7. Praesta, beata trinitas,
Concede simplex unitas,
Ut devota solemnitas
Poenas repellat debitas.

Brev. ms. S. Lupi Trecensis anni 1511. Cod. S. Genovefae Parisien. BBL. VIII° 23².

498. De sancto Winebaldo.

Ad Nocturnum.

1. Pange, lingua confessoris
Gloriosi merita,
Ut de sui grex pastoris
Laude tenet debita,
Nos emunda, Christe, foris
Et nos intus visita.

2. Sanctus iste vivens pie
Semper Deum coluit,
Inhaerendo Christi viae,
Quam devote tenuit,
Et virtute quaque die
Praefulgere meruit.

3. Ad hunc febrem patientes
Trecassini veniunt,
Revertuntur inde sani,
Valent et proficiunt,
Cum per preces Winebaldi
Tales morbi fugiunt.

4. Nos hunc hymnum in honore
Confessoris canimus
Et a summo salvatore
Nos salvari petimus,
Quem nos corde, factis, ore
Confitentes credimus.

5. Ut devota gens precatur
Semper prece sedula,
Nobis pacem largiatur
Agnus sine macula,
Qui cum patre gloriatur
Per aeterna saecula.

Brev. ms. S. Lupi Trecensis anni 1511. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl VIII° 23². — 1, 1 sq. gloriosi confessoris. — 2, 3 Inserendo.

499. De sancto Winebaldo.

Ad Laudes.

1. Summe pater, sancti tui
Nobis praestes precibus.
Ut possimus tecum frui
Donis spiritalibus,
Ut et Christus regni sui
Nos adjungat civibus.

2. Mundi bonis hic caducis
Mentem non apposuit,
Sed superni servus ducis
Bona mundi respuit,
In eremo parce vivens
Beari promeruit.

3. Hic pro nobis sanctus fundat
Preces apud Dominum,
Qui nostrorum mentes mundat
Ab errore criminum,
Ne nos turbet aut confundat
Fallax hostis hominum.

4. Ut devota gens precatur
Semper prece sedula,
Nobis pacem largiatur
Agnus sine macula,
Qui cum patre gloriatur
Per aeterna saecula.

Brev. ms. S. Lupi Trecensis anni 1511. Cod. S. Genovefae Parisien. BBL. VIII° 23².

500. De sancto Wulframo.

1. Nobis adest tripudium
Magnumque pacis gaudium,
Quod Wulframi nobilibus
Concelebratur laudibus.

2. Hic prosapia nobilis
Et moribus probabilis
Pontifex factus Senonum
Correxit Dei populum.

3. Praeclarus in ecclesia
Signorum fulsit gloria,
Hoc attestatur Frisia
Omnisque prorsus Gallia.

4. Aegros sanat et debiles
Confortat atque flebiles,
Defunctis vitam praebuit,
Surdis aures aperuit.

5. Unde nunc grates debitas
Tibi solvamus, trinitas,
Hujus per sancti gratiam
A te poscentes veniam.

Brev. ms. Blandiniense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 29253.

Nachträge.

Nr. 7 steht ebenfalls in Brev. ms. Fulden. saec. 15 Cod. Fulden. A a 81. (B) und Diurn. ms. Fulden. saec. 15. Cod. Fulden. A a 85. (C) mit folgenden Varianten: 2, 3 Quae cum B, qui cum C. — 3, 1 potentis regimina BC. — 5, 2 benignus dirigas BC. — 6, 1 sqq. Gloria tibi Domine, qui natus es. BC.

Nr. 45. In der Quellenangabe lies: Brev. ms. Vallis Maurianae saec. 12/13.

Nr. 93 findet sich gleichfalls ohne Varianten in Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Roman. 1476. Sessor. 69.

Nr. 94 findet sich in derselben Quelle mit folgenden Abweichungen: Zwischen Str. 2 und 3 ist einzuschieben:

Ortum quis vidit propriae personae,
Priusquam matris janua levetur?
Hoc tamen sensit munere Mariae
Clausus Johannes.

3, 1 diffinit. — 3, 2 tempore matura. — 5, 2 virgo fehlt. — 5, 4 Vires appendit.

Inhalts-Übersicht.

	Seite
Abel melos supernorum	262
Accende sancte spiritus	139
Ad celebre praeconium	184
Ad coeli regis curiam	121
A Deo missus Gabriel	56
Adest dies laetitiae	150
Adest dies laude digna	96
Adest dies sanctus Dei	31
Adest Firmini praesulis	118
Adest nunc dies celebris	206
Adest triumphus nobilis	199
Ad Francisci fama prisci	121
Ad honorem praesulatus	224
Ad laudem matris Domini	47
Ad laudem regis gloriae	238
Ad laudem tui nominis	102
Ad laudes Christi procerum	96
Adoremus creatorem	182
Aeterna Christi munera	114
Aeterna Christi munera	235
Aeterna Maure gaudia	190
Aeterna sapientia	246
Aeterne rector omnium	78
Aeterne rex altissime	20
Aeterno regi Domino	99
Agathes hinc ab humano	76
Agite chori modulantis	140
Agmen poli coetus soli	220
Agnes ecce progreditur	78
Agnes virtutum cellula	77
Agnum sponsum virgineum	82
Albine doctor optime	79
Alma cunctis virtutibus	51
Alma fulget in coelesti	38
Alma mater generosa	196
Alta proles sanctissima	35
Amicus sponsi magno	133
Amore Christi nobilis	247
Amore victus filius	20
Angelis et hominibus	193
Angelus Domini Mariae	13
Anna noli flere	85
Archiepiscopi Jacobi festa	131
Arcis aethereae decus	196
Arnulpho congratulemur	88
Athleta Clemens hagius	103
Auctor potens rerum Deus	98
Audi paterna caritas	169
Audi salus rerum Deus	86
Augustinus norma legis	90
Aulae coelestis consulem	222
Aulae coelestis laudemus	223
Aurorae claritas	242
Autberte praesul inclite	92
Ave corpus sanctissimum	34
Ave felix altor	141
Ave flos pudoris	252
Ave gloriosa	159
Ave pie Christe	139
Ave praeelecte	264
Ave praesul venerande	106
Ave sponsa Christi	151
Ave stellae maris	138
Avete, nobiles martyrum	108
Baptistae natalitia	135
Baptista nobis hodie	137
Bartholomaee tuum	95
Beata nobis gaudia	164
Beate martyr cernuis	229
Beatum nobis gaudium	37
Beatus auctor saeculi	236
Brioci sacri praesulis	100
Caput beatum sustulit	202
Castoris ut praeconia	102
Celebre festum sancti	89
Chorus fidelis annua	233
Chorus novae Jerusalem	253
Christe corona martyrum	259
Christe creator omnium	160
Christe cunctorum via	258
Christe hac hora tertia	14
Christe regum rex et auctor	204
Christe salvator unice	62
Christi virgo egregia	219
Christo nunc modulis	232
Christus factus obediens	19
Claris psallendo vocibus	83
Clemens summe praesul Christi	105
Cleri patrem et patronum	213
Coelesti cum tripudio	85

	Seite
Coelestis aulae militem	207
Coelestis panis Africus	91
Coelestium virtutibus	229
Coelis continuum civibus	122
Coelo splendens aetherea	200
Coelum resonet laudibus	255
Collaetentur corda nostra	115
Collaudemus venerantes	19
Concentu parili virgo	51
Conceptum corde gaudium	239
Concrepet laudum candida	226
Condolentes moeroribus	68
Confessor almus Stephanus	234
Congregavit nos in unum	24
Consonis Christum veneremur	160
Corde vero jucundemur	76
Corona Christi capitis	20
Corruscans jubar aetheris	104
Cum quidam fluctuantia	205
Cunctis pie praesul sancte	116
Defensorem egregium	226
Dei testis egregius	216
De superno spiramine	201
Deus nostrum refugium	148
Deus pater piissime	27
Deus protector omnium	257
Deus sacrator corporum	79
Deus tuorum militum	21
Deus tuorum militum	143
Devota mente celebrem	176
Devotum fide populum	235
Diem angelicis solemnem	189
Dies adest en celebris	180
Digna Deo Cilinia	103
Dolus prae sociis	242
Dulces frequenta modulos	158
Ecce ascendit propere	129
Ecce dies omni plena	254
Ecce jam dies inclinat	18
Ecce nova solemnitas	53
Eja fratres festum	177
Eja fratres jam plaudite	237
En futura Annae	53
Eructat vix verbum bonum	81
Evangelistae coeli citharistae	140
Exaltent nomen Domini	178
Ex illustri prosapia	154
Ex omni jam Provincia	164
Exsultemus decantando	223
Exsultemus et cantemus	119
Exsultemus et laetemur	200
Exsultemus in Domino	88
Exsultemus venerantes	106
Exsultet aula coelica	110
Exsultet aula coelica	130
Exsultet aula coelica	157
Exsultet coeli curia	84
Exsultet coelum laudibus	69
Exsultet jam fidelium	86
Exsultet in ecclesia	112
Exsultet nunc ecclesia	106
Exsultet omne saeculum	227
Exsultet plebs fidelium	23
Exsultet plebs Pictavica	154
Exsultet vox ecclesiae	128
Facturae Christe conditor	194
Favete nobis seduli	194
Felix adest solemnitas	78
Felix Christicolas exhilaret	165
Felix gaude Germania	113
Felix Maria veniae	175
Ferreoli decantemus	117
Festa pia solemnia	61
Festa praeclari rutilant	219
Festiva mundo gaudia	166
Festum colentes celebre	177
Festum nunc celebre	84
Festum nunc celebre	93
Fidelis custos virginis	140
Filia divinitatis	43
Fortis adstabat Nathalia	198
Franciscus florens gratia	121
Fratres, unanimes foedere	187
Fratres viridico cantica	97
Fuit Domini dilectus	26
Fundant fratres vota precum	215
Fundator orbis qui plasmata	191
Gabriel Dei archangelus	49
Gaudeat omnis turba	90
Gaudeat tellus jubilansque	221
Gaude coelestis curia	127
Gaude coetus fidelium	245
Gaude felix Britannia	251
Gaude felix Vesontio	22
Gaude Johannes Domini	134
Gaude mater ecclesia	23
Gaude mater ecclesia	24
Gaude mater ecclesia	68
Gaude mater ecclesia	87
Gaude proles Davidica	54
Gaude redempta plebsque	71
Gaude sacrata meritis	155
Gaudet chorus coelestium	105
Gaudete Sion filiae	224

	Seite
Gaude turba candidata	256
Gaude turba fidelium	258
Gaudium mundi Christe	188
Genitrix intacta	44
Gertrudis almae praemia	124
Gloriam Deo pangimus	154
Gloriam regis filiae	178
Gloriosum Julianum	148
Gratiam Christi reorum	173
Gratias tibi pro posse	125
Gratulare Chrysopolis	114
Gratuletur hodierna	132
Gratuletur in honore	152
Hac die transitus	181
Hac in die consobriis	179
Haec dies celeberrima	54
Haec festa cives coelici	239
Hae sunt adolescentulae	256
Harmonizant omnes sancti	115
Hora noctis consurgite	63
Hora nona quae canimus	15
Hunc diem festum	58
Hymnidici sonent toni	132
Hymnizemus Christo regi	92
Hymnorum modulis	98
Hymnos dulces personemus	237
Hymnum canamus gloriae	28
Hymnum canamus gloriae	156
Hymnum confessoris	234
Hymnum Deo personemus	149
Hymnum devote personet	180
Hymnum fideles populi	157
Hymnum novae laetitiae	24
Hymnum novae laetitiae	149
Hymnum sacra novum die	217
Hymnum solemni voce	230
Jam Christus coelum scanderat	180
Jam Christus sapientia	164
Jam lucis splendor rutilat	17
Jam probatus in tormentis	228
Jam sacris ritibus	22
Jam venit festum celebrandum	231
Janua coeli inclita	46
Jesu Christe hospes pie	182
Jesu Christe salvator virginum	248
Jesu corona milium	254
Jesu corona omnium	219
Jesu corona virginum	253
Jesu filii Dei	15
Jesu nostra redemtio	228
Jesu nostra refectio	33
Jesu solamen miseris	36
Jesu vita viventium	110
Immensae rex potentiae	159
Inclitas laudes canimus	143
In Complutensi cardine	149
Ineffabilis est Christe	170
In festo Annae gaudeat	85
Ingressa domum placide	60
In hac die gratulemur	261
In laude Martini Deus	186
In laude regis omnium	192
In Myrea civitate	209
In Naboris et Felicis	197
In Nicolai laudibus	210
In sepulchro venerando	93
In supernum mens intenta	117
In tanti festi gloria	52
Inter illa claritatis	203
Inter patres monastici	186
In terris praedicabilem	213
Inter supernos principes	118
Iste cunctorum flos	138
Iste martyr egregius	108
Jubilemus Christo soli	82
Jucundae laudis orbita	158
Jucundare mater ecclesia	135
Jucunda terris gaudia	75
Jucundum satis dulce	173
Juliani celebremus	144
Juliani sanctissimi	144
Laetabunda laude pia	126
Laetare coeli regia	265
Laeta stupet Thuringia	112
Laetetur aula coelica	169
Laetis ecclesia resonet	153
Laetus hoc festum colat	174
Lantgravia Thuringiae	111
Lauda mater ecclesia	65
Laudantes Christi famulum	119
Laudemus Christi gratiam	254
Laudes Christo cum canticis	174
Laudes quas hodie	94
Laudetur ab hominibus	119
Lucem creator omnium	51
Luce refulgens aurea	189
Lumen solis irradiat	62
Lux ecce surgit lucida	183
Lux Eoa rutilior	45
Lux matutino radiat	101
Lux mundi beatissima	47
Lux quae luces in tenebris	48
Lux solemnis ave Christus	29
Lux via vita veritas	199

	Seite
Magdalenae praeconium	176
Magnae dies laetitiae	69
Magne pater Nicolae	209
Magne pater Nicolae	209
Magni festa Basilii	97
Magnificemus Dominum	247
Magnus Johannes emicat	137
Maria coeli regina	50
Maria doctrix inclita	165
Mariae pia viscera	66
Maria mater doluit	65
Maria mater Domini	167
Meria mater luminis	46
Maria plena gratiae	48
Maria virgo virginum	50
Maria vitae janua	54
Martine jam consul poli	185
Martine praesul optime	187
Martini laudes incliti	184
Martyris claram colimus	216
Martyrum dena milia	76
Mater Dei sanctissima	49
Mens elevetur mira	60
Mens in laude exi regis	146
Mentes juvet fidelium	66
Mentis fervet devotio	16
Miri floris et odoris	208
Missus sacera a supernis	55
Multo lassati crimine	63
Mundus eructat praesulis	207
Naturam sumens hominis	50
Nicolai collaudetur	212
Nicolai praeconia	206
Nicolaus cujus laus	208
Nobis adest tripudium	267
Norma jubarque fidei	190
Novum coelo fit gaudium	126
Novum resultet canticum	221
Novum sidus laetitiae	216
Nuntiat angelus virginis	71
O admiranda bonitas	131
O athleta summi regis	233
O beata Magdalena	171
O caput o pastor	218
O cleri fulgens lilium	214
O corona spes unica	21
O Deus alme nostris	109
O felix chorus virginum	244
O felix nimis femina	47
O felix nostra regio	230
O gloriosa domina	67
O gloriosa domina	70
O gloriosa insula	253
O gloriose Domini	142
O gloriose Domini	142
O Jerusalem filiae	245
O Lubenti pater alme	156
O mater sola et virgo	45
Omnes immundi currite	168
Omnis justitiae arbiter	100
Omnium clemens petimus	200
O paradisus Domini	179
O pastor pie et clare	87
O quam beata femina	163
O quam laudiflua mente	166
O quam magnum quam praeclarum	33
O quantorum gaudiorum	17
Orbis Christe salus	126
O salutaris hostia	34
O stupenda baptistae	136
O summi patris unice	251
O supreme tui rex	77
O vere digna hostia	34
Ovet jucunda concio	129
O virgo clementissima	64
Pangat omnis orbis Deo	231
Pangat turba clericorum	183
Pangat vox laeta omnium	199
Pange chorus fidelium	160
Pange Christo die isto	113
Pange lingua confessoris	266
Pange lingua gloriosae	111
Pange lingua gloriosae	152
Pange lingua gloriosi	146
Pange lingua gloriosi	211
Pange lingua gloriosum	153
Pange lingua virginale	255
Panis iste dulcedinis	32
Pastor bonus fidelium	29
Pater kyrie Leoni	155
Patris nostri praeconia	158
Patris summi coaeterna	170
Peccatricem se Domino	172
Peccatrix quondam femina	167
Pie colamus annua	163
Plasmatorem idoneum	245
Plaudat coelestis curia	198
Plaudat chorus fidelium	236
Plaudat chorus psallentium	38
Plaudat polorum laudibus	172
Plaude Jerusalem occurrens	57
Plebs catholica laetare	81
Plebs omnium fidelium	104
Pontifex glorificande	192

	Seite
Praefulgens sol justitiae	48
Praenuntiatrix usiae	162
Praerogativa gratia	141
Praesulis sancti gesta	204
Praesulis summi celebremus	260
Precamur te domina	49
Profunda noctis termino	62
Proles nobilium celsa	87
Prome festum plebs benigna	144
Psallat chorus fidelium	38
Psallat ecclesia	241
Psallat haec concio	210
Psallat immensas chorus	161
Quanta refulget gratia	225
Quantas sancti corpore	107
Quem terra tremit Dominum	252
Qui bonorum angelorum	195
Qui respicis humilia	103
Quod suis fidum Sithiu	99
Repleta gaudio fidelis	175
Resonet ecclesia	248
Rex Christe tu mirificas	185
Rex confessorum gloria	214
Rex sanctorum lux et virtus	125
Rex sempiterne lucis	123
Rex virtutum et gratiae	225
Rutilantior jubare	43
Sacerdos Christi Euchari	114
Sacerdos iste Domini	218
Sacrae refulgens mystica	191
Salve mater et matrona	101
Salve matrum sublimitas	70
Sanctae crucis mysterium	34
Sanctarum virginum	250
Sancte confessor Domini	120
Sancte pater juva nos	30
Sancte sanctorum Deus	79
Sancte tu praebe miseris	127
Sanctorum natalitia	197
Serve Dei Potentine	222
Sexta aetate virgine	15
Sol casto nascens utero	48
Solemni jubilo virginis	91
Sol luna coelum sidera	29
Solvamus omnes congrua	228
Somni spreta dulcedine	238
Spes peccatorum maxima	211
Splendidior omni phoebo	43
Splendoris patris genitrix	46
Splendor superni numinis	33
Sponsum laudemus virginum	261
Sponsus dum credit virginum	251
Stola triumphans gloriae	229
Stupet ordo et ratio	136
Sublime festum saeculis	122
Sublimis sedis gaudium	95
Summe Deus precor	13
Summe pater sancti tui	266
Summi mater principii	45
Summi regis potentia	83
Summi regis potentia	108
Summus sacerdos in ara	18
Te coelum terra maria	262
Templum Dei mundissimum	47
Ter terni chori superum	193
Tibi canunt nato Dei	128
Tu Christe nostrum gaudium	246
Tunc coelum horruit	37
Ubi caritas et amor	24
Urbane testis inclite	244
Urbanum urbis nomine	243
Ut queant laxis	147
Vale virgo jam cum tuis	257
Veneranda solemnitas	202
Veneremur solemniter	124
Veni creator spiritus	139
Venit Deus factus homo	16
Venite omnes populi	28
Vera proles patris sumni	16
Verbum in carne moriens	18
Verbum supernum prodiens	32
Verbum supernum prodiens	181
Vexilla regis omnium	200
Vexilla regis prodeunt	263
Victorias nunc martyrum	235
Virginali concioni	249
Virginibus prudentibus	249
Virginibus prudentibus	249
Virginis alto	64
Virgo quae ave perenne	44
Virgo quae lucem saeculo	44
Vitone praesul inclite	260
Vocibus Christo pariter	240
Votis supplicibus	30
Votiva mentis gaudia	116
Vox clara dulcis sonuit	58
Wernheri Christi martyris	264
Winebaldi solemnia	265

Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

12 # 10792

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO — 5, CANADA
10792.